

ENARRATIO ALEXANDRI APHROD. IN LIBRUM  
decimū primæ philosophiæ, Latinis XI. Interprete Io. Genesio.



Apientiam quidē circa principia scientiā esse, ex primis iā patuit: in quibus ad ea quæ ab aliis dicta sunt de principiis rerū, est dubitatū.



**I**N hoc totius operis decimo libro qui inscribitur k, repetit ea quæ ipsi demonstrata sunt, nobisq; suggerit, huiusmodi doctrinā a physica & mathematica esse diuersam, eandēq; solā dignā esse quæ sapientia nūcupetur: atq; hoc quidem est huius libri argumentū, sed latius est repetendum. Cū in primis libris doctrinarū præstantissima practica ne, an speculatrix sit inquisiuisset, omni disciplina practica potioem esse docuit utcunque speculatricem. omnium porro speculatiuarū sapientiam quā hic indagamus, esse nobilissimā, quippe cuius principia cæterarū scientiarū principijs habeatur potiora. sed cū nō satis pateret, an huius doctrinæ sint aliqua principia, huc cōuersus id ipsum docuit, eāq; principijs uti demonstrauit. Deinde sapientiā q̄ sint principia explicaturus, eadēq; cæterarū doctrinarū principijs nobiliora esse expositurus, veterū de principijs opiniones cōmemorat. Quibus excussis cōsentaneū erat, ut his de rebus sententiā suā exponeret. Sed quia omnis cognitio & disciplina ex manifestioribus efficiē, idcirco necessariū esse dixit ad hanc doctrinā inquirendā, ea primū disputare, de quibus primū dubitari oporteret. Nā recte dubitasse, magno vsui est ad quæstiones disputandas. Cū igit̄ in secūdo huius operis libro addubitasset, quæstiones illie propositas, in ceteris libris ex sententiā sua & veritate persequutus est ad hūc vsq; librū, quē k Peripatetici cōsueuerunt nūcupare: dubia soluēs, & quæcūq; ad rē pertinētia cōsentaneaq; inciderēt, exponēs. Pleraq; autē & in hoc libro, & in sequētibus explicaturus, quæstiones aliquas cōmemorat, q̄ vel omnino nō fuere solutæ, vel supra nō satis explicatæ. Sapientiā igit̄, inquit, de qua est nobis sermo susceptus, doctrinā quādā esse habētē principia, e superioribus quæstionibus palā factū est, cū in ea disputarem, quæ de principijs ab alijs tradita sunt, & rectene, an perperā dicerēt, differeremus. Nā aliorū sentētijs perpēdēdis simul docuimus, sapientiā quā inquirimus, principia quibus vtatur habere.

Enar. r.

Sapientiam merito vocari hanc doctrinam.

Dubitauerit autē quispiā, vtrū sapientiā ipsam vnā esse scientiā, an plures existimare oporteat. Nā si vnā ipsam esse putem, vna est semper cōtrariorū: principia vero nō sunt cōtraria. si nō vnā, quas illas plures ponere oportet. Præterea vnus ne est, an pluriū, demonstratiua principia cōtēplari. Si enim vnus est, cur potius huiusce, q̄ cuiusuis? Sin pluriū, quas illas ponere oportet? Præterea omniū ne substātiarū, an nō omniū vna scientia est putanda? nā si nō omniū, perdifficile est, quæ quarū est, assignare. sin omniū vna, obscurū est, quomodo pluriū eadē esse scientia potest. Præterea circa substātiā ne solū, an & circa accidētia est demonstratio. etenim si circa accidētia sit demonstratio, circa substātiā nō esse vidēt. At si alia est, quæ nā vtraq; sit, & vtra sit sapientiā. Demonstratiua nāq; facultas sapientiā est ea, quæ circa accidētia ipsa versatur. ea vero quæ circa prima versatur, substātiarum esse videtur. At neq; circa causas eas ponēda est ea scientia quā quærimus, quas in naturalibus diximus. neq; enim circa id est, gratia cuius cætera fiunt. Tale est enim ipsum bonū: hoc autē est in rebus agēdis, & in hisce quæ sunt in motu. Atq; hoc primū mouet. Tale enim est ipse finis. At id quod primū mouit, nō est in hisce quæ mobilia sunt.

<sup>2</sup> Dubitauerit autē quispiā, vtrū sapientiā ipsam vnā esse scientiā, an plures existimare oporteat. Reuocat in memoriā, ut dictū est, quæ in secundo libro quæsitæ sunt, & ait, sed quærat aliquis, nū sapientiā vnā doctrina sit, an plures? vna vero, nō quæadmodū arithmetica, geometriā, physica & astronomiā omnes vnā esse dicimus, propterea q̄ in vna Socratis anima cōtinentur. Nā hæ vnā quādā esse dicuntur, quoniā omnes in anima vna cōuenientes, vnā quandā doctrinā singulis vniuersaliorē conficiunt. nō igitur an ad hūc modū sapientiā vnā sit, inquirimus, sed sit ne vna numero, an plures? Hæc effatus, primū nō esse vnā arguit, in hūc modū. Scientiā numero vnus principia cōtraria sunt. nā contrariorū vna est disciplina, & vna est cōtrariorū. sapientiæ vero principia non sunt cōtraria. hæc igitur doctrina, quā vocamus sapientiā, non est vna. Nō esse autē cōtraria principia sapientiæ, ad hunc modū arguitur. Principia sapientiæ sunt primæ & sempiternæ substātiæ. substātiæ autē nihil est contrariū, principia igitur sapientiæ nō sunt cōtraria. si enim his particularibus & sensibilibus substātijs nihil est contrariū, illis intelligibilibus perpetuisq; & ut ita loquar plusquā substātijs, quid poterit esse cōtrariū? quod vel intelligere esset indignissimū. Atq; hæc quidē est argumētatio qua occurritur si quis vnā esse respōderit. Sed & oppositā in partē argumentatur dicens. Si non est vna, sed plures, quæ nā sunt istæ plures? vtrum est arithmetica, & aliqua alia? & vtrū septē, an quinq; aliusve numerus? vtrūq; enim dicatur, magna quæstio est. Quærat item aliquis, vnus ne, an pluriū doctrinarū munus sit, de principijs demonstratiuis disputare, qualia sunt, de omni affirmatio vel negatio. & quæ vni eidē sunt æqualia, ea inter sese æqualia sunt. & his similia. si enī hoc munus sit vnus exēpli causa arithmetica, qua ratione huius erit, nō geometriæ? vel cur huius, & non cuiusuis alterius? quod si nō est vnus,

Sapientia vnā ne sit numero, an plures.

Sapientia  
nō versatur  
circa causas

Primū mo-  
uēs, gratia  
cui⁹, & bo-  
num.

sed plurium, quales tandem esse intelligi debent? practicæ ne, an speculatiuæ? & ex contemplatrici-  
bus physica, an quæpiam alia? (Præterea omnium substantiarum, an non omnium vna scientia est  
putanda? Nam si non omnium, perdifficile est, quæ quarum est, assignare.) At si rursus omnium sub-  
stantiarum vnam scientiam esse dixeris, difficile cognitu est, quomodo plurium scientia vna esse  
possit, cum vna contrariorum sit, substantiæ vero non sint contrariæ. Illud quoque potest in quæ-  
stionem venire, num demonstrationes in substantijs versentur, an in per se accidentibus substantijs,  
an si versentur in per se accidentibus, nec substantiarum & quiditatis habeatur demonstratio, vt in  
secundo posteriorum demonstratur, substantiarum non fuerit demonstratio, sed alia quædam. At si  
alia est doctrina substantiarum, alia accidentium, quænam est vtraque ipsarum? & vtra sapientia es-  
se intelligitur, accidentium, an substantiarum disciplina? & ait, quoniam demonstratiua sapientia  
in accidentibus versatur, quæ considerat prima, id est prima principia qualia sint, ea substantiarum  
est. In nullo igitur istorum sapientia ponenda est. Neque versatur circa eas causas, quæ in libris phy-  
sicis explicantur, materiam, formam, efficiens, & finem. Ac non versari quidem circa materiam, for-  
mam & efficiens, dictum est in primis huius operis libris. Nam principium quod quærimus, ex-  
pers est materiæ. Sed nec aliud quidpiam est principij huius efficiens, quippe quod primum om-  
nium est, & cunctarum rerum causa. quin & formam omnem excedit, cum sit ipsum formarum ef-  
ficiens. Nam quod non versetur in causa finali, ipse docet cum ait (Neque enim circa, id est gratia  
cuius) id est, circa finalem causam, quam bonum ipsum esse ait. Dicens autem (Neque enim circa id  
quidem gratia cuius) innuit subaudiendum nobis esse, neque circa reliqua tria, formam, materiam,  
& efficiens. Nam coniunctio quæ aliquid desiderari significat. Propositum autem ad hunc modum  
demonstrat. sapientia versatur in rebus immobilibus, bonum autem, & gratia cuius, non sunt im-  
mobilia, cum immobilia perfecta sint, & nullius neque indigentia, neque appetentia. & conclu-  
dit. sapientia igitur non versatur in causa finali. Quo exposito, in quibus gratia cuius versatur, de-  
clarat. Nam id, inquit, gratia cuius, quod quidem est bonum, in rebus agendis inest: quoniam qui  
agit, is gratia boni agit, vel eius quod boni speciem præfert. Bonum igitur in rebus agendis habe-  
tur, quæque motu cientur, seu naturalibus & artificiosis. & hoc est quod primum mouet. Nam  
bonum, vel quod boni præfert speciem, cum videtur, visum mouet, visus imaginationem, hæc ap-  
petitum, appetitus animal. Itaque primum mouens est gratia cuius, & bonum. Si ergo sapientia  
immobilia considerat, gratia vero cuius non habetur in immobilibus, sapientia profecto non con-  
siderat gratia cuius.

Omnino autem hic existit dubitatio, vtrum circa sensibiles substantias ea scientia  
quæ nunc quæritur, an non circa ipsas, sed circa alias quasdam versetur. nam si circa  
alias versatur, aut circa ipsas formas, aut circa mathematica ipsa versabitur. At formas  
quidem patet non esse. Dubitatio autem emergit, si quispiam etiam ipsas esse posue-  
rit, cur non vt in mathematicis, sic & in cæteris res sese habet, quarum sunt formæ. Di-  
co autem hoc pacto. Mathematica quidem inter formas & res sensibiles ponunt, vt  
tertia quædam inter ipsas formas, & ea quæ sunt hoc loco. Tertius autem homo non  
est, neque equus, præter ipsum, & singulos homines atque equos. Quod si rursus non  
sunt, vt inquirunt, circa quæ ponendum est mathematicum ipsum versari? Nō enim cir-  
ca ea quæ sunt hoc loco, quippe cum istorum nihil sit tale, quale mathematicæ scien-  
tiæ quærunt. At vero neque circa mathematica scientia ea versatur, quam quærimus,  
nihil enim ipsorum est separabile. At neque est substantiarum sensibilibum. oriuntur  
enim, atque intereunt.

Omnino autem hic existit dubitatio, vtrum circa sensibiles substantias versetur.) Sensus est vtrū  
doctrina quam quærimus, de sensibilibus substantijs edisserat, an non, sed de quibusdam alijs. & si  
de alijs, quænam eæ sunt diuersæ a sensibilibus, quas considerat sapientia? num formæ, id est ideæ,  
an mathematica? non esse autem ideæ, pluribus verbis demonstratum est. Sed licet formas esse con-  
cedamus, cur, inquit (Non vt in mathematicis, sic & in cæteris sese res habet) id est, quare vt in-  
ter ipsi triangulum, & triangulos sensibiles mathematicos triangulos per se, ac non solum intelli-  
gentia existentes, intercedere aiunt, non sic inter ipsi hominem, & singulos homines tertius ho-  
mo interest, qui per se consistat? nam (præter ipsum) dixit pro eo, præter ipsi hominem. Cum sic  
igitur in ideæ disputauit, in contrariam partem argumentatur, dicens. (quod si rursus non sunt,  
vt inquirunt) id est, si non demus, neque concedamus ideæ esse, in quibus rebus mathematicum  
versari dicemus? cum in singularibus & sensibilibus non versetur. nihil enim ex ijs quæ nobis no-  
ta sunt, est longitudo siue rectitudo latitudinis expers. nullus globus planiciem contingit in pun-  
cto. in quibus rebus mathematicus versatur, & de quibus edisserit. si ergo nihil huiusmodi apud  
nos est, nisi ipsi longitudinem, & ipsi globum concesserimus, mathematicus de non entibus dispu-  
tabit. at nulla disciplina de non entibus habetur. Ad quæ argumenta idcirco nihil respondet, quo-  
niam sæpe in hanc opinionem disputauit. negat tamen sapiētiam tractare mathematica, quoniam

Sapiētiam  
nō tractare  
mathema-  
tica.

nihil ipsorum est separabile, & per se existens, cum sapientia quæ per se ac vere sunt contempletur. Sapiëntia igitur neq; mathematicorum est, neq; sensibilem & particulariũ substantiarum. hæc enim mortalia sunt, & sapientia est immortalium & sempiternorum.

Omnino autẽ dubitauerit quispiã, qualisnam sit scientiæ, de mathematicarum rerũ materia dubitare. Neque enim naturalis est facultatis, propterea quòd omnis tractatio naturalis philosophi circa ea versatur, quæ in seipsis principium motus statusve habet. Neq; etiam est facultatis quæ de demonstratio ne scientiaq; considerat. nam circa hoc ipsum genus facit inquisitionem. Restat igitur philosophiam propositam de ipsa considerare. Dubitauerit autem quispiam, si scientiam eam quam quærimus, ponere oporteat circa principia, quæ a quibusdam elementa vocantur. Hæc autem omnes in ipsis inesse compositis ponunt. Potius autem ea scientia quam quærimus, vniuersalium videbitur esse. Omnis enim ratio, omnis scientia, vniuersalium est, & non vltimorum. Quare hoc pacto primorũ generum erit. Hæc autem fuerint id quod est, ipsumque vnum. hæc enim omnia quæ sunt, continere maxime videbuntur, & principis maxime similia esse, propterea quòd natura sunt prima. his enim corruptis cætera quoq; cõtinuo simul vniuersa tolluntur. omnia enim ens sunt, & vnum. Verum cum differentias participes ipsorum esse necesse est, si quispiam ipsa genera posuerit esse, differentia vero nulla generis particeps esse potest: hoc sane non videbitur, ipsa esse genera ponere, aut principium oportere.

4 Omnino autẽ dubitauerit quispiam, qualisnã sit scientiæ de mathematicarum rerũ materia dubitare. hoc inquit aliquis quærat, qualis doctrinæ munus sit, de materia mathematicis subiecta disputare. Nam physica proculdubio non est, vt quæ de ijs edisserat, quæ in se motus & quietis principium habet, & de his subiecta materia. Mathematica vero immobilia sunt. Neq; est facultatis demonstraticis. hæc enim sumens genus, & mathematicorum subiectum vt quiddam indubitatum, exempli causa quòd est magnitudo, inquit quæ illi per se accidunt, quid est rectum, & quid rectas lineas cõcurrere, aut non cõcurrere. nõ tamẽ magnitudinis, aut si quid aliud mathematicis subijcitur, naturã inquit. Illud autem (Nam circa hoc ipsum genus facit inquisitionem) manca ex more veterũ oratio est. est autem sensus, sumens hoc ipsum genus, & materiam subiectam mathematicis sine cõtrouersia certum quiddam esse, considerat & contemplatur quæ illi per se accidunt. hæc enim subaudienda sunt. Si ergo neq; Physicæ doctrinæ, neq; demonstraticis facultatis partes sunt de mathematicorum materia differere, superest vt sapientia de ipsa consideret. Hęc effatus, (Dubitauerit autẽ, inquit aliquis, si eam scientiam quam quærimus, ponere oporteat circa principia, quæ a quibusdam elementa vocantur.) dicit autem ignem, terramq; & quæ horum media sunt. & percontatus respondet, dicens, hæc autem omnes in ipsis inesse cõpositis ponunt. quasi dicat, an sapientia, quam inquirimus, non versatur in huiusmodi principijs: cum hæc principia, ignis, terra, aqua, & aer insint in compositis animalibus, & stirpibus, & similibus. Quòd autem his insint, omnium ait esse consensum. sapientia vero separabilem est, & eorum quæ omnino contineri nequeunt. Sapiëntia igitur non est huiusmodi principiorum & elementorum. Maxime autem vniuersalium esse videtur. omnis enim ratio, omnisq; scientia est vniuersalium. Hęc autem quo est ceteris nobilior, & vniuersalior, eo fuerit vniuersaliorum. Sunt porro omnium vniuersalissima, vnum & ens, quippe quæ omnia complectuntur. omnis enim res substantiam quandam & naturam habet, ac existentiam, & ens est atq; vnum. propterea igitur quòd vniuersalissima sunt, & simul tollunt, non autem simul tolluntur, ens & vnũ principia fuerint. Nam hoc est principij propriissimum, secũ tollere, & nõ cum alijs tolli. Quòd autem secum tollant, hinc intelligitur, quia nisi vnum sit, aut ens, nihil eorum erit quæ ab ipsis dicuntur. Postq; ad hunc modum vnum & ens maxime principia esse confirmavit, id ipsum oppugnat, dicens, (verum cum differentias participes ipsorum esse necesse sit) est autem sensus. vnum & ens, qua sunt vniuersalissima, principia esse videntur. qua vero interdũ de differentijs prædicantur (nam rationalitas ens est & vnum, atq; item mortalitas & cætera, ac ens & vnum non sunt genera neq; principia, sed nomina tantum dictum est enim sæpenumero de differentijs genera non prædicari) quatenus ergo, inquit, si quis ens & vnum principia esse statuatur, efficitur vt his differentiæ participant, id est, vt hæc de differentijs prædicentur: hac ratione neq; genera, neq; principia esse videri debent.

Præterea si simplicius est principium, magis quàm id quod minus est tale, vltima vero eorum quæ sunt ex genere, generibus sunt simpliciora, (sunt enim indiuidua. genera vero in plura atq; differentia diuiduntur) species sane magis esse principium, quàm genera videbuntur. At quo species vnã cũ generibus ipsis tolluntur, genera rursus principis magis similia esse videntur. Est enim id principium, quod secum alia tollit.

Mathematicorum cõsideratio ad quã doctrinã spectet.

Principia secũ tollunt, nõ cũ alijs tolluntur.

Præterea si simplicius est principium magis quàm id quod minus est tale.) Hoc quoque in loco illud desideratur Præterea quærat aliquis, vtrum genera principia sint, an species? Illis igitur verbis, (Præterea si simplicius est principium magis quàm quod minus est tale.) Species potius quàm genera principia esse confirmatur. Nititur autem argumento eo pronūciato, compositiora minus esse principia quàm simpliciora. principij enim proprium est esse simplex. Cum igitur cōpositiora minus sint principia, quàm simpliciora, genera autem compositiora sint, vt quæ plura complectantur, species simpliciores, cum pauciora cōtineant: efficitur, vt species quàm genera potius principia sint. Vocauit autem vltima eorum quæ sunt ex genere, species specialissimas. Sed hæc argumentatio probabilis tantum est, & cuius quàm cæterorum insidiæ sunt apertiores. hac igitur ratione species magis quàm genera principia esse videri possunt. qua vero rursus genera secum tollunt species, & non simul cum speciebus tolluntur, genera principia esse videntur. est enim principij vis, vt secum tollat, non cum alijs tollatur.

Sunt igitur quæ dubitationem habent, & hæc, & alia istiusmodi. Præterea vtrū quippiam præter singula ponere oporteat, an nō oporteat, sed istorum sit ea scientia, quam nunc quærimus. At hæc infinita sunt. Ea vero quæ præter singula sunt, genera aut species esse constat. sed horum neutrius scientia est ea quæ nūc quærimus. Quam enim ob causam id esse nō potest, iam antea diximus. Etenim omnino dubitatio quædam emergit, vtrum aliquam substantiam separatam præter sensibiles substantias, & eas quæ sunt hic, putandum sit esse, an non putandum, sed hæc esse ea quæ sunt, & circa hæc sapientiam ipsam versari putare oporteat. Quærere enim alia quædam videmur, & hoc est propositum nobis, videre inquam si quippiam sit in ratione rerum separatam per se, quod quidem nulli rerum sensibilium sit.

Sunt igitur quæ dubitationem habent, & hæc, & alia istiusmodi.) Postquā dixit hæc esse de quibus quæri possit, & adiecit (& alia istiusmodi) significans alias præterea quæstiones esse, rursus quæstionem aliam subiungit, dicens. (Præterea vtrum quidpiam præter singula ponere oporteat) in quibus versetur sapientia (an non) sed sapientia versetur in singulis, cum præter singula nihil sit. & quæstionem soluit, dicens. Singula mortalia sunt & caduca, sapientia vero de immortalibus & sempiternis edisserit. sed neque de ijs sapientia disputat, quæ præter singula sunt. talia enim sunt genera vel species, quæ quidem in singularibus insunt, & similitudines sunt eorum in quibus habentur, cum interim sapientia de vere entibus edisserat, & quæ contineri nequeunt. Vbi autem illis verbis, (Quam enim ob causam id esse non potest, iam antea diximus) significauit sapientiam de alijs quæ de generibus disputare, subiungit (etenim omnino dubitatio quædam emergit, vtrum aliquam substantiam separatam esse putandum sit.) quasi dicat, Nisi quædam alia separata sunt, in quibus versetur sapientia, dubium est vtrū præter substantias nobis cognitatas aliqua sint separata, an non: sed sensibilia sunt entia de quibus necesse est vt sapientia consideret. Substantiam enim a sensibilibus diuersam indagare videmur, & inquirere num sit aliquid separatam & per se, quod non sit de numero sensibilium.

Præterea si præter sensibiles substantias alia sit substantia quædam, præter quas substantias sensibiles hæc esse ponere oportet. Cur enim potius præter homines aut equos quàm præter cætera animalia aut inanimata omnino quispiam ipsam ponet? æquales tamen substantiis sensibilibus atque caducis alias æternas conficere, fines egredi rationis videtur. Quod si id principium, quod nunc quærimus, non sit a corporibus separatam, quodnam aliud magis quispiam, quàm materiam ponet? Hæc tamē potentia est, & nō actu. Atque forma potius quàm hæc principium propriusve videbitur esse. at hæc caduca est, atque perit. Quare non est separabilis & per se substantia vlla perpetua. At hoc est absurdum. Videtur enim esse, atque ab elegantissimis quæritur quoddam principium, atque substantia talis. Quo namque modo fuerit ordo, si non sit quicquam æternum & separatam ac manens? Præterea si substantia sit aliqua, principiumque tale natura, quale nūc quærimus, atque hoc vnum sit omnium idemque tam perpetuarum rerum, quàm caducarum, existit utique dubitatio, cur nam sub eodem principio alia sunt sempiterna, alia non sempiterna. Hoc enim absurdum esse videtur. Quod si aliud illorum, aliud est istorum: si caducorum etiam sit æternum, modo sane simili dubitabimus. Cur enim si principium sit perpetuum, non sint & ea quæ sub ipso sunt, sempiterna? Sin vero sit caducum ac perit, aliud quippiam huius, & aliud illius itidem principium erit, atque hoc in infinitum abibit. Quod si rursus quispiam ea quæ maxime immobilia principia esse videtur, id in-

quam quod est, ac ipsum vnum posuerit: primo quidem si neutrum ipsorum hoc aliquid substantiamque significet, quoniam pacto separabilia atque per se erunt? Talia autem querimus æterna ipsa principia atque prima. Deinde si hoc aliquid vtrunque substantiamque significat, omnia quæ sunt, continuo substantiæ erunt: quippe cum de vniuersis ipsum ens, & de nonnullis ipsum vnum etiam prædicetur. At falsum est, vniuersa quæ sunt, substantias esse. Præterea dicant illi oportet, qui id quod principium primum, atque substantias inquirunt esse, ex ipso vero vno atque materia primo numerum generant, atque hunc asserunt substantiam esse, quoniam pacto id quod dicitur, verum esse potest? Dualitatem enim, & cæterorum numerum quemque compositorum, quoniam modo vnum intelligere oportet? De hoc enim neque quicquam omnino dicunt, neque est facile dicere. Si lineas tamen vel superficies principia quispiam posuerit prima, hæc non sunt substantiæ separatae, sed incisiones atque diuisiones, linea quidem superficierum, superficies autem corporum, & linearum etiam puncta, & insuper eorundem sunt fines. Hæc autem omnia in aliis insunt, & nihil est separatum. Præterea quoniam pacto substantiam vnius punctive putare oportet? Nam substantiæ quidem omnis est generatio, at puncti non est. Est enim ipsum punctum diuisio. Affert autem & hoc dubitationem, omnem quidem scientiam vniuersalium esse, ac talis, substantiam vero de vniuersalium numero non esse, sed potius hoc aliquid esse, ac separatum. Quare si scientia sit circa principia, quoniam pacto putare oportet principium substantiam esse?

7 Præterea si præter sensibiles substantias alia sit substantia quedam. Quæstio est, si sit aliqua substantia a sensibilibus diuersa, vt quidam dicunt ipsi hominē, (præter quas sensibiles substantias hanc esse ponere oportet) id est, quorum habentur ideæ, & quorum secus. Si enim hominis habeatur priuatim & equi, cur non & stirpis? & si stirpis, cur non domus, & omnino inanimatorum? Negant enim authores idearū, artificiosorum ideas esse. Quod si non modo rerum naturalium, sed etiam artificiosarum, & simpliciter omnium sensibilibus ideæ sint, tamen alienum est dictu, totidem numero ideas esse, & quæ apud nos sunt. Nam qui duorum cognitionem habere nequit, is quatuor multo minus habebit, cum pauciorum & terminatorum cognitio facilius sit. Isti autem qui propter harū rerum compendium ideas comminiscuntur, parum intelligebant se numerum duplicare. Sed de his satis multa dicta sunt in primo libro maiore. Si ergo formas principia separata esse dixeris, hæc incommoda consequuntur. Sin autem principium quod querimus, a corporibus secerni posse neges, quodnam id esse dices, nisi materiam informem? hæc enim licet actu nihil sit, nec propriam formam obtineat, facultate tamen est omnia, nisi quod nunquam est absque forma. Si ergo principium, quod indagamus, materiam informem esse dicas, occurret tibi aliquis formam dictans multo magis esse principium, quæ materiam definit & exornat. At ne forma quidem dici potest huiusmodi principium esse. Nam principium quod inquirimus, sempiternum est: omnis autem materialis forma, caduca. Si ergo materialem formam huiusmodi principium esse statuas, estque caduca forma omnis materialis (voco autem materialia quæcunque citra lunæ globum continentur) omnino principium sempiternum ac per se separatumque non erit. quod est perabsurdum. Est enim & a doctissimis sapientissimisque viris indagatur. Præterea nisi huiusmodi principium sit, quomodo rerum ordo constabit, si nihil sempiternum sit, & constans, a quo rerum omnium ordo disponatur? At si est aliqua substantia & principium quale querimus, sempiternum videlicet, separabile, & vnum idemque principium sempiternarum rerum & caducarum, magna quæstio est, cur cum omnia ab vno principio manent, quedam mortalia sunt, alia immortalia? quod videtur alienum. Quod si aliud est mortaliū principium, aliud immortalium, mortale ne an secus est mortaliū principium? si immortalē, cur quæ ab hoc proficiunt, mortalia: quæ ab altero, immortalia sunt? cum sit vtrunque immortalē. Sin mortaliū principium est mortale, aliud erit principium, in quod hoc ipsum aboleatur. ac tum illud quero, mortale, an immortalē sit. si immortalē, cur quæ ab ipso proficiunt, sunt caduca? & hoc in cunctis similiter. Sin omnia principia mortalia, infinite procedatur. quod fieri non posse demonstratum est in primo libro minore. Quod si principium quod querimus, immobile esse oportet, cum vnum & ens immobilia esse videantur, hæc utique principia fuerint. At si quis, inquit, hæc principia esse statuerit, primum, si, quemadmodum sæpe demonstratum est, & demonstrabitur, ens & vnum non significant hoc aliquid, id est substantiam, vt ipse exponit, & neutrum ipsorum est substantia, profecto nec separabilia fuerint, neque per se. nihil enim præter substantiam separabile est, & per se, sed omne tale in substantia esse obtinet. At sempiterna & prima principia talia querimus, separabilia videlicet, & per se. quod si ens & vnum substantia sunt, ac proinde principium, omnia principia fuerint. Nam vt ea de quibus animal prædicatur, omnia sunt animata sensalia, sic si ens & vnum sit substantia, omnia de quibus hæc prædicantur, erunt substantia. itaque qualitas, quantitas, & cætera prædicamenta sub-

Mortaliū  
& immor-  
taliū an  
idē sit prin-  
cipium.

stantiæ fuerint, quod falsum est. Quod vero ait, (& de nonnullis ipsum etiam vnum prædicatur) non est dictum ab re, sed propter numeros & multitudines. Si enim vnitates sunt ex quibus numeri existunt, & ex quibus magnitudines, numerus quatenus in se tot habet vnitates, non est vnus. quæ eadem est multitudinis ratio. Præterea, inquit, qui aiunt ipsum vnum esse substantiam, & ex hoc & materia numeros primum generant, eosdēq; substantias esse aiunt, ac rursus ex numeris cætera gignunt, ij quomodo dictum tueri possunt? quorum doctrinæ consentaneum est, dualitatem ceterosq; numeros vnum esse, ac de ipsis vnum prædicari. Nam vt homines sunt, quæ ex materia formaq; humana constant, sic vnū quæ ex vno & ex materia consistūt. Quomodo autem ex vno & dualitate siue materia primum numeros efficiant, deinde ex numeris cætera, in primo maiore fuit explicatum. Sed neq; lineas, neq; superficies principia esse, quæ inuestigamus, putare conuenit. nihil enim horum est separabile & substantia, sed tantum sectiones, punctum lineæ, linea superficiiei. Præterea quomodo punctum, vel quod tantundem est, vnum, substantia esse intelligatur, cum omnis naturalis substantiæ sit generatio, & temporis mora fiat ipsius existentia, puncti autem generatio non habeatur, vt in hoc opere sæpe demonstratur? Illud quoq; dubitari ait, si omnis scientia versatur in vniuersalibus, quod est idem ac si dicatur in principijs, nullum vniuersale, vt in septimo huius operis libro demonstratur, est substantia: quomodo principia possunt esse substantiæ? At nos ea principia quærimus, quæ substantiæ sint, ac proprie substantiæ. quod si verum est, non igitur vniuersalia sunt principia, quæ inquirimus. ac sensus quidem hic est illorum verborum. (Afferret autem & hoc dubitationem, omnem quidem scientiam vniuersalium esse, & cætera) particularis vero expositio hæc, (omnis scientia vniuersalium est & talis) id est, similitudinis particulariū. Vniuersalia enim similitudines sunt, & quasi vestigia: substantia vero, vt in septimo demonstratur, non est de numero vniuersalium, sed particularis (sed potius hoc aliquid) id est, sed proprius substantia est particularis & separata atq; per se, non tale & similitudo. Semper enim apud Aristotelem hoc aliquid significat substantiam, tale autē qualitatē. At similitudo qualitas est, vniuersale autem similitudo. Vniuersale igitur similitudo est, & qualitas, & tale. si ergo scientia est de principijs, principia vero vniuersalia, vniuersalia porro non sunt substantiæ, non igitur principia substantiæ sunt.

Vniuersalia similitudines sunt, & quasi vestigia.

Præterea est ne quippiam præter ipsum totum, an non est? Dico autem totum materiam cum eo quod est cum ipsa. Nam si non est, ea quæ sunt in materia, caduca sunt vniuersa: si est, species illud erit, ac ipsa forma. Hoc igitur, in quibus est, & in quibus non est, difficile est definire. In quibusdam enim velut in domo formam non esse separabilem constat. Præterea principia sunt ne specie, an numero eadem? nam si eadem numero sunt, omnia vnum erit.

Præterea, inquit, est ne quidpiam præter ipsum totum, an non? Totum appellans, quod ex materia & forma consistit. Si enim præter totum nihil est, hæc autem omnia sunt caduca, sapiētia, quod est absurdum, mortalium & caducorum fuerit. aliquorum enim sit oportet. si autem præter totum aliquid est, species utiq; fuerit atq; forma. At hæc in quibus separetur, in quibus secus, haud facile intelligas. Nam in quibusdam certum est formam non posse separari, vt in domo. Sed quoniam rationabiles animæ formæ hominum sunt, vt irrationabiles cæterorum animalium, quæ rationabiles an separentur, in nulla huius operis parte demonstratur, idcirco adiecit. (in quibusdam) quasi diceret, si non in cunctis certum est, separentur, an non, in quibusdam tamen non dubium est, quin sint inseparabiles. (Præterea, inquit, principia sunt ne specie, an numero eadem? Nam si eadem numero sunt, omnia vnum erit.) id est, non erit multitudo. Nam quoniam literæ a, specie sunt vnum, numero vero plura, idcirco multæ sunt syllabæ habentes a, vt Aristarchus, & Aristoteles. quæ a si numero essent vnum, vna syllaba esset, vel vnum nomen, vel vna oratio, ea scilicet in qua inueniretur a. sed de hoc in secundo libro latius disputauit, vbi eius Aristoteles mentionem fecit.

Literæ a, specie vnū, numero plura sunt.

Cum autem scientia philosophi circa id versetur, quod est, ea ratione qua ens est, vniuersaliter, & non per partem: id autem quod est, multipliciter, & non vno modo dicitur: si æquiuoce quidem dicitur, & non per rationem vllam cōmunem, non sub vnā sane scientiam cadit. non est enim talium vnum genere. Sin vero per commune quippiam dicitur, cadet profecto sub scientiam vnā. Videtur igitur modo iam dicto dici vt medicatiuum ac sanum. & horum enim vtrunq; multis dicitur modis. Vnumquodq; autem hoc ex eo dicitur modo, quia aliud ad medendi facultatem, aliud ad sanitatē aliquo redigitur modo: & aliud item alio modo, ad idem tamen reducitur vnumquodque. Medicatiua nanq; ratio cultellusq; propterea dicitur, quod illa quidem a medendi proficiscitur facultate, iste autem huic est utilis. Similiter & sanū, partim ex eo dicitur, quia significatiuum est sanitatis: partim ex eo, quia eiusdem est effectiuum. Idem est & in cæteris similibus modus. Eodem & ens omne dicitur modo. Ex eo nanq; vnūquodq; ipso.

rum ens dicitur, quia eius quod est, ea ratione qua est ens, aut affectus, aut habitus, aut dispositio, aut motus, aut quippiam cæterorum talium est.

9 Cum autem scientia philosophi circa ens versetur, ea ratione qua est ens, vniuersaliter & non per partem.) Propositis quæstionibus, iam nunc solutiones ipsarum subiungit. & primum eius qua primum quærebatur, vtrum vnus doctrinæ sit naturam entis, qua est ens considerare, an non? & vnus esse docet, dicens vnum neq; æquiuoce neq; vniuoce de quibus dicitur prædicari, sed vt quæ ab vno & ad vnum dicuntur, quæ media sunt inter vniuoca & æquiuoca. Nam æquiuoca nominis tantum societatem habent, vniuoca & nominis & rei. quæ vero ab vno & ad vnum referuntur, neq; eadem sunt, atq; vniuoca. tunc enim non modo nomen, sed naturam etiam communem haberent. Neq; eadem atq; æquiuoca, tunc enim nomen tantum haberent commune. Ergo decem prædicamenta, de quibus vnum prædicatur, neq; vniuoca sunt inter se, alioquin eadem essent, nec substantia a quantitate differret, nec vicissim quantitas a substantia, neq; cætera inter ipsa, neq; rursus ens de ipsis æquiuoce dicitur, quandoquidem entitate ac existentia participant. nec entis natura omnino carent, sed ea substantiæ primum, deinde reliquis nouem prædicamentis suppetit. Ergo qua ente participat, & qua sunt, hac differunt ab æquiuocis. qua non sunt eadem atq; substantia, sed diuersa, line qua tamen neq; esse, neq; substitui valent, hac ab vniuocorum natura distant. Quoniam igitur entia nomen, vt dictum est, eiusq; naturam cõmunem habent, idcirco fieri potest, vt entium habeatur vna scientia. Posse autem eorum quæ ab vno & ad vnũ referuntur, vnam esse doctrinam, in huius operis secundo libro demonstratum est. Ac sententiam quidem verborum explicuimus: quod vero ad dictionem pertinet, huiusmodi est. Quoniam, inquit, philosophia ens qua est ens contèplatur, Geometria enim & Physica, & reliquæ singulæ in ente aliquo versantur, quoniã igitur philosophia prima ens qua ens est contèplatur, neq; enim qua grauitatē habet, vel caliditatem, aliquamve aliam sensibilibium contrarietati, sed solum qua est ens, & entitate ac existentia participat, ipsum cõsiderat. (Ens autem multifariam, nõ vno modo dicitur) id est, nõ dicitur vniuoce, de quibus prædicatur. si, inquit, ens æquiuoce, de quibus dicitur, prædicetur, & per nihil cõmune. i. si entia nomine tantum entis participant, ab entis autē natura prorsus abhorret, vt neq; sint, neq; participet entitate, sed ea careant, cõsentaneum est ipsorũ scientiã vnã esse negare, vt quæ sint æquiuoca, nullũ neq; genus neq; subiectũ habentia cõmune. Nam quorũ genus & subiectũ non est vnum, horũ doctrina vna non existit. sed quoniam nõ sunt æquiuoca, sed præter nomen per aliquid commune sunt entia quatenus existentia quadam participant, ipsorum scientia vna esse potest, quæ quidem sapientiã nũcupatur. Hæc effatus, quomodo entis doctrina vna esse possit, exemplo declarat, & omnino entia quomodo dicantur, dicēs vt instrumentum medicum dicitur, & præceptum medicum, item sana vrina, medicamētumq; sanum, & cibus sanus. quorum modorũ alter dicitur ab opere medico, quod ab artifice medico in corpore ægro tantis efficitur. ab ipso enim medicamentum cæteraq; medica dicuntur. alter a sanitate. ab hac enim tum cibus, tum vrina sanĩ nomine nuncupatur. sic entia ab vno ente, hoc est substantia, quæ proprie ens est, huiusmodi appellationem acceperunt. quòd enim eius habitus sint, vel affectiones, entia nũcupantur. Est autem affectus cum leuiter quidpiam calefcit, dispositio vero cum per calorem est dispositum vt calidum esse dicatur, habitus cum dispositio constans effecta est.

Aequiuoca nominis tantũ societate habet, æquiuoca & nominis & rei.

Cum autem reductio eius omnis quod est, ad vnum quid commune fiat, contrarietatum etiam quæque ad primas differentias eius quod est, ac contrarietates vtique reductetur, siue multitudo ac vnum, siue similitudo ac dissimilitudo sint eius quod est, differentia primæ, siue aliæ quædam. Sint enim hæ contemplatione perceptæ. Interest autem nihil, ad id quod est, an ad ipsum vnum, eorum quæ sunt, reductio fiat. Nam si non eadem sunt, sed diuersa, conuertuntur tamen. Ipsum enim vnum & ens quodammodo est, & id quod est vnum, etiam est.

10 Cum autem reductio omnis entis ad vnum quid commune fiat.) sensus est. Quemadmodum cætera præter substantiam, hæc autem sunt quantum, quale, vbi, & reliqua prædicamēta, quoniam affectiones habitusque substantiæ sunt, ad ipsam rediguntur, & propter ipsam entia nuncupantur, sic contrarietas quæq; caliditas & frigiditas, siccitas & humiditas, æqualitas & inæqualitas & reliquæ ad primas differentias primasq; entis contrarietates referuntur, & ab his contrarietates vocabuntur. vt enim entia ad substantiam, sic contrarietates ad primam entis contrarietate referuntur. Entia autem propter substantiam & dicuntur, & sunt. contrarietates igitur ob primam contrarietatem contrarietates nuncupabuntur. Sed hæc inquit primæ entis cõtrarietates sint ne multitudo & vnum, an similitudo & dissimilitudo, an quæpiam aliæ, alias fuit statuendum. Nam hæc quæ sint, in libro qui de bono inscribitur declarauit. Sed quoniam entia non solum ad proprie ens, id est ad substantiam referuntur, & ab ipsa dicuntur entia, sed etiam ad proprie vnum, quod ipsum item est substantia: idcirco nihil interesse ait, ad ipsum ne ens, an ad vnum entia referamus. Nam vt ab ente entia, sic ab vno vna nominabuntur. licet enim vt vnum & entia nuncupantur, diuersa sint secundum sermonis prola-

Entia res quæq; propter substantiam dicuntur.

tionem, tamen natura ens & vnum idem sunt. Nam vt mortalis & homo secundum elementorum quibus proferuntur expressionem diuersa esse videri possunt (nam primum elementum mortalis est m, primum hominis est ho, at non protinus diuersa sunt) sic ens & vnum licet diuersis elementis esferantur, tamen non sunt diuersa, sed eadem, cum vnum hoc sit, quod ens, & ens hoc quod vnum. In dictione autē cum ait, (Nam si non eadē sunt) desideratur, prolatione & elementis, quibus significatur. (sed diuersa, conuertuntur tamen.) & siquid est ens, vnum quoque est: & siquid vnum, etiam ens.

Atqui cum eiusdem atque vnius scientiæ sit omnia contemplari contraria, contrariorum autem alterum priuationis subeat vicem, dubitauerit quispiam, quonam pacto nonnulla per priuationem dicuntur, quorum est aliquid medium, qualia sunt iustum atque iniustum. Circa igitur talia cuncta priuationem ponere oportet, non totius rationis, sed vltimæ formæ: ceu si ipse iustus est is qui legibus per quendam obtemperat habitum, non omnino ipse iniustus is erit, qui tota ratione priuatur. est enim & qui ex aliqua parte deficit in obtemperando, atque hoc pacto priuatio inerit ipsi. Idem est & in cæteris modus.

Atqui cum eiusdem atque vnius scientiæ sit omnia contemplari contraria, contrariorum autem alterum priuationis subeat vicem, & utique quædam, dubitauerit quispiam) verba illa (& utique quædam) dictionem obscuram reddunt, quæ illis sublatis perspicua esset, ad hunc modum. (Atqui cum eiusdem atque vnius scientiæ sit omnia contemplari, contrariorum autem alterum priuationis subeat vicem, dubitauerit quispiam, quonam pacto nonnulla per priuationem dicuntur, &c.) quod quærit, huiusmodi est, cum secundum priuationem contraria dicantur (in omni enim contrarietate deteriorem partem vocat priuationem, vt in contrarietate albi & nigri, nigrum priuationem appellat, album formam & habitum, item lumen habitum, tenebras priuationem, simili cæterorum ratione. cum igitur omnis contradictionis pars altera secundum priuationem dicatur, fuscum autem albo contrarium esse dicamus, & simpliciter extremis media, nimirum fuscum & omne medium priuatio fuerit. Porro si nigrum priuatio est albi, fuscum quoque albi priuatio est, fiet, vt nigrum & fuscum idem sit. hic est enim sensus illorum verborum (dubitauerit quispiam, quonam pacto nonnulla per priuationem dicantur, quorum est aliquid medium) id est, quorum contrariorum est medium, quomodo id potioris partis contrarietatis priuatio nuncupabitur? Necessè est enim, si medium dicitur contrarium, priuationem quoque ipsum nuncupari. Quam quæstionem dissoluens, fuscum albi priuationem esse ait, non tamen vt nigrum: quandoquidem nigrum perfectam albi continet priuationem, fuscum vero ex parte priuatum est albedine. Obscure tamen & ingeniose dixit, (Circa igitur talia cuncta priuationem ponere oportet, non totius rationis, sed vltimæ formæ.) est autem sensus circa talia cuncta, id est, circa contraria, quæ medium habent, priuationem ponere oportet. quo in loco priuationem vocat fuscum, aliudve medium. ergo circa contraria, quibus aliquid intercedit, sic oportet medium priuationem dicere, non quasi totam rationem vltimæ formæ, hoc est nigri excipere valeat, vt fuscum color concretius visus esse definiatur, ac proinde ab albi definitione prorsus abhorreat. non sic igitur hæc priuationes appellari debent, sed ad hunc modum, fuscum verbi gratia, vt in exemplo albi & nigri persistamus, priuatio debet vocari, quasi non prorsus albi definitionem capere valeat, quoniam alioquin idem esset fuscum & album, possit tamen ex parte. Vltimæ igitur formæ, id est nigri tota ratio est, quæ color visus concretius dicitur. at fusci nequaquam. quamobrem fuscum albi definitionem excipere aliqua ex parte potest, cuius fusci definitio esse potest color visus ex parte discretius. Itaque fuscum non sic est albi priuatio, vt nigrum, neque omnino caret albedinis definitione. Nigrum autem finalem speciem appellauit, vel quia nigrum posterius est fusco. vel finale dixit pro extrema, propterea quod nigrum extremum sit atque finis nigredinis, vt albedinis album. Hoc igitur est quod illis verbis innuebat, quanquam ipse in exemplo iusti atque iniusti versetur, dicens. (ceus si iustus est is qui legibus per quendam obtemperat habitum) id est si definitio iusti est, legibus per habitum quendam parere (non omnino ipse iniustus) iniustum appellat qui neque iustus est, neque iniustus, sed vtriusque medium tenet. Medius igitur, inquit, iusti & iniusti non erit omnino priuatus tota ratione ac definitione iusti: vt ne fuscum quidem tota ratione albedinis, sed erit medius inter iustum & iniustum, qui deficit aliqua ex parte parendo legibus. Ita qua legibus in vniuersum paret, discrepat ab iniusto, qui omnino non obtemperat. qua vero deficit obtemperando, nec paret, vt iustus omnino, hac non est idem atque iustus. & hac ratione qua deficit ex parte obtemperando legibus, adest ei iusti priuatio. Additur autem in definitione iusti (per quendam habitum) propterea quod potest quispiam iusta facere inuitus & coactus, qui non debet iustus vocari, vt qui ex habitu quodam his fungitur officijs. (Idem est & in cæteris modus) id est, eadem est ratio in cæteris quæ media quorumpiam sunt, vt in fusco, tepido, & similibus. hæc enim sic debent priuationes nuncupari, vt explicatum est.

Inuitus quispiam iusta faciens, non propterea iniustus est.

Vt autem mathematicus circa ea cōtemplationem facit, quæ per abstractionem sumuntur, ipsa nanque sublatis vniuersis sensibilibus contemplatur, vt pondere, leuitate, du



ritie, ac contrario, caliditate insuper, frigiditate, cæterisque sensibilibus contrarietatibus, solis relictis quanto atque continuo, quorundam ad vnum, quorundam ad duo, quorundam ad tria, atque affectus horum ut quanta sunt, & continua, & non ut quicquam aliud contemplatur, & aliorum quidem inter sese positiones, & ea quæ ipsis competunt, aliorum autem commensurationes & incommensurationes, & aliorum rationes considerat, attamen vnam omnium horum eandemque geometricam scientiam ponimus: sic & circa id quod est, res sese habere videtur. Nam ea quæ huic accidunt ea ratione qua ens est, & contrarietates ipsius, ut ens est, non ad aliam scientiam, sed ad philosophiam ipsam pertinet contemplari. Naturali namque scientiæ, nemo, eorum quæ sunt, ut entia sunt, sed potius ut motum subeunt, tribuet contemplationem. Differendi quoque facultas atque sophistica circa accidentia quidem eorum quæ sunt, non tamē ut entia sunt, neque circa ipsum ens, ut est ens, versantur. Quare restat circa ea quæ dicta sunt, ut sunt entia, philosophum ipsum esse contemplatorem. Quoniam autem omne quod est, per vnum quid dicitur, & commune, quod quidem pluribus dicitur modis, contrariaque modo eodem (ad primas namque contrarietates ipsius entis, & differentias reducuntur) talia vero sub vna esse scientia possunt, solui profecto dubitatio ea potest, quam in principio diximus. Dico autem eam, qua quærebatur, quoniam pacto multorum genereque differentium vna quædam scientia fuerit. Cum autem & mathematicus ipsis communibus sibi accommodatis utatur, horum quoque principia ad primam philosophiam pertineat contemplari. Hoc enim, ab æqualibus inquam sublatis æqualibus, ea quæ restant, æqualia esse, commune quidem in omnibus quantis inest. Mathematica vero id sumens, circa aliquam suæ materiei partem contemplationem facit, ut circa lineas, aut angulos, aut numeros, aut cæterorum quippiam talium, non ut entia sunt, sed ut ipsorum quodque continuum est vna dimensione, vel duabus, vel tribus. At philosophia de singulis quidem, ut horum cuique quippiam accidit, non considerat: circa vero id quod est, ut est ens, vnumquodque talium contemplatur. Eodem modo res sese habet & circa scientiam naturalem. ipsa namque naturalis facultas accidentia principiaque eorum quæ sunt, ratione qua mouentur, non ut entia sunt, contemplatur. At primam scientiam istorum diximus esse ut sunt entia, & non aliud quicquam. Quapropter & hanc scientiam, & mathematicam ipsam partes esse sapientiæ est ponendum.

- 12 Vt autem mathematicus circa ea contemplationem facit, quæ per abstractionem sumuntur. His verbis duo quædam simul docet, alterum quomodo philosophus considerat ens, & in ipsum inquirat: alterum quomodo doctrinæ vnius munus est ens qua est ens considerare, dicens. Quæmadmodum mathematicus auferens ratione a corporibus grauitates, siccitates, mollitudines, caliditates, & omnino sensibilia, hoc est sensibiles contrarietates, relictæ solum continentî magnitudine, hoc est lineis, planis, & solidis. hic est enim sensus illorum verborum, (quorundam ad vnum, quorundam ad duo, quorundam ad tria, atque affectus horum, ut quanta sunt, & continua, non ut quicquam aliud contemplatur.) considerat enim quæ his accidunt, qua horum quodque quantum est, atque cōtinuum, non qua vel graue, vel album. Vt ergo mathematicus, sic item philosophus qui entis accidentia contempletur, non considerat ens, eiusque accidentia, qua ipsum est mobile, aut quicquam aliud, sed quatenus entia sunt, & qua entitate participant. Itaque nullius doctrinæ partes sunt de entis qua est ens accidentibus & contrarietatibus differere, siue illa sint vnum & multitudo, siue quicquid aliud, præterquam sapientiæ. Physica enim non disputat de his qua sunt entia, sed qua in se principium ut moueantur habent. Dialectica vero & sophistica considerant illæ quidem entis accidentia, non tamen in eo quod sunt entia, sed vtrum subiecto accidat, an non, inquirunt. Superest igitur philosophum de ente ac huiusmodi contrarietatibus qua entia sunt disputare. atque hæc quidem est dictorum sententia. Quod vero ad dictionem pertinet, cum ait, (& aliorum inter se positiones, & ea quæ ipsis competunt) aliorum dicit, id est linearum. Mathematicus enim considerat circulorum positionem, vtrum sic iaceant, & per vnum punctum inter sese contingant, an ut inter se dissecantur: & vtrum lineæ rectæ sic se habeant ut angulum exempli gratia obtusum complectantur, an non. Et vtrum hæc rectæ lineæ commensurabiles sint, an secus: & an propositi numeri proportionem sesquialteram, an sesquiterciam, aut aliquam aliam inter ipsos obtineant. Vt autem in quæntis cum continuum in vnum diuersum sit a continuis in duo, & hæc a continuis in tria, vnius tamen Geometriæ est de ipsis disputare, sic in ente licet nouem prædicamenta quale, quantum, & cætera, tum a substantia, tum inter se diuersa sint, tamen nihil prohibet vnius esse doctrinæ de ipsis disputare. quo in loco intelligendū

Sapientiæ  
vnius est  
de ente qua  
ens est con  
siderare.

est, quæ a iunioribus stereometria nūcupatur, hanc ab ipso Geometriam appellari. (Cum autem & mathematicus ipsis communibus sibi accommodatis utatur) cōmunia vocat sentētiās illas communes si ab æqualibus demantur æqualia, quæ supersunt, æqualia sunt. & quæ sunt æqualia eidem, inter se quoque sunt æqualia, & reliqua id genus. Dicit autem (sibi accommodatis) quoniam Geometra quæ sunt eidem æqualia, lineis accommodat, atque id principium quasi solum in ipsis verum sit, usurpat, quippe cuius nihil interest, an id in numeris verum obtineat, ac vicissim Arithmeticus numeris ipsum accommodat, in lineis vero quale sit, nihil laborat. Ac dictionem quidem exposuimus. Dictorū vero intellectus qui obscuritatis nihil habet, hic est. Quoniam non modo Physicus, & ceterarū doctrinarum magistri, sed etiam mathematicus principiis ut veris citra demonstrationem utitur, idcirco philosophus in ea non perinde se gesserit, sed considerabit, demonstrabitque huiusmodi principia, quatenus quidem demonstrari valent. Ergo principium, si ab æqualibus æqualia dempseris, quæ supersunt, sunt æqualia, est illud quidem omnibus commune, & a cunctis disciplinis usurpat, mathematicus tamen considerat huiusmodi principia quatenus ad solam materiam pertinent mathematicæ subiectam, qui lineas, angulos, plana, quæ sunt mathematicæ materia, non considerat in eo quod entia sunt, sed in eo quod continua, siue ex vna parte, ut linea, siue ex duabus, ut plana, siue ex tribus, ut solida. sed mathematica, cæteræque disciplinæ particularia quædam entia contemplantur, & in ipsis quemadmodum explicatum est, versantur. philosophia vero non considerat particularia, nec an aliud quid horum cuiquā accidat inquirat. quæ si forte de singulis etiam edisserit, ea tamen quatenus entia sunt, contemplantur. Et quemadmodum mathematica subiecta sua non qua sunt entia contemplantur, sed qua sunt continua ex vna, duabusve, aut tribus partibus, sic Physica accidentia & principia rerū naturalium (nam hæc appellauit entia. neque enim res naturales sunt non entia) considerat non qua entia sunt, sed qua mouentur, & qua ut moueantur in se principium habent. Scientia vero prima considerat quidem naturalia, non tamen qua mouentur, nec qua principium habent ad mouendum, sed qua entia sunt. At licet mathematica doctrina de entibus, de lineis dico atque similibus, ut sunt continua, contempletur, & Physica de naturalibus entibus, ut mouentur, & harum neutra entia ut sunt entia, consideret, tamen quoniam demonstrationibus utitur Physicus & mathematicus, & nunquam fallunt, quemadmodum Dialecticus & Sophista, quorum dialecticus studio semper persuadendi interdum accipit falsa, Sophista semper: quoniam igitur demonstrat, nec fallunt, quod maxime sapientiam attingit, idcirco tum Mathematica, tum etiam Physica partes sunt philosophiæ.

Est autem in hisce quæ sunt, principium quoddam, circa quod fieri nō potest ut falso dicamus, quin potius semper cōtrarium faciamus, id est, verum dicamus necesse est: veluti fieri non potest ut idem vno eodemque tempore sit & nō sit, & cætera quæ hoc opponuntur modo. Atque de talibus absolute quidē demonstratio esse nequit, ad hunc autem est. Fieri enim non potest, ut ex alio principio magis credēdo ratiocinatio huiusce conficiatur, quod tamen fieri oportet si simpliciter fuerit demonstratio.

Est autem in entibus principium quoddam circa quod fieri non potest ut falsum dicatur. (Hoc in loco propositum ipsi est, contradictionem veram simul esse non posse demonstrare, non quod id simpliciter ac proprie demonstret (tunc enim ex antegressis & notioribus id efficeret, quod fieri nequit, cum sit nihil contradictione notius) sed quia redarguit, ac falsitatis eos conuincit, qui contradictionis veritatem tuentur, quoniam id demum est, contradictionem demonstrare non esse simul veram, refellere id affirmantes, atque addicere. atque hoc quidem est propositum. In entibus ergo principium quoddam esse ait, principium autem vocat contradictionem, in quo minime falli licet, sed potius contrarium fieri est necesse. quid porro sit, quod uti faciamus est necesse, exponens ait, (id est, verum dicamus necesse est) Quod iterum explicans adiicit (vel uti fieri non potest, ut idem vno eodemque tempore sit & non sit.) est autem sensus. Tantum abest, ut per contradictionem mentiamur, ut necessario, non contingenter verum dicamus, non quod ipsa contradictio vera sit, sed quoniam eius altera pars, id est affirmatio vel negatio est vera. Neque enim fieri potest ut eodem tempore res eadem atque vna sit & non sit, exempli gratia sit & non sit sedens, sit & non sit homo. Illud autem, (Et cætera quæ hoc opponuntur modo) dicit propter habitus & priuationes. Nam fieri nō potest, ut vnum animal visum habeat, & idem sit cæcum. (Atque de talibus) id est, de contradictione, & ijs quæ per habitum & priuationem opponuntur, ut diximus, demonstratio proprie non habetur, sed in eum qui contradictionem veram simul esse affirmat, demonstratio est, id est, hunc redarguere ac erroris conuincere licet. Itaque non id agimus, ut contradictionem demonstremus, sed ut ipsam tollentem redarguentes, firmissimam illam esse doceamus. Effatus vero contradictionem non posse demonstrari, causam eius reddit, dicens, (fieri enim non potest, ut ex alio principio magis credendo, ratiocinatio huius conficiatur.) Nam cum omnis demonstratio omnique demonstratiuus syllogismus ex prioribus & notioribus fiat, contradictione autem nihil sit notius, sit ut eius syllogismus demonstratioque non habeatur. Itaque ut huius syllogismus demonstratioque existat, notius aliquid & credibile assumatur oportet. Nulla est igitur illius demonstratio.

Mathematica non considerat res quatenus entia sunt, sed quatenus continua.

Physicus & mathematicus quomodo a dialectico & sophista differant.

Contradictionem non esse simul veram.

Ad eum vero qui dictiones oppositas veras simul asserit esse, ei qui falsum id esse ostendit, tale quippiam est sumendum, quod si idem erit, quod illud, non posse inquam vno eodemque tempore idem esse, atque non esse, non tamen idem videbitur esse. hoc enim pacto duntaxat id demonstratur ad eum, qui dictiones oppositas de eodem veras asserit esse posse. Quibus itaque inter sese communicare sermonem disputareque placet, ij se ipsos intelligendos prestare debent. Nam si id ipsum non fiat, quoniam pacto inter ipsos communicatio sermonis, disputatioque fieri potest? Nominum igitur vnumquodque notum esse oportet, & aliquid significare, & non plura, sed solum vnum. Quod si plura significet, id designetur oportet, ad quod illorum ipsum nomen pro presenti usu mentem ducere lubet.

14 Ad eum vero qui dictiones oppositas veras simul asserit esse, ei qui falsum id esse ostendit, tale quidpiam est sumendum.) Testatus contradictionis demonstrationem non haberi, docet nos, preceptisque instruit, quibus eum coarguamus, si quis contradictionem simul esse veram asserat, dicens, Si quis contradictionem demolientem falsitatis conuincere curet, huic sumendam esse talem quampiam rem, id est, lapidem, lignumve, aut hominem, qui lapis aut lignum re vera idem nunc sit & postea, licet neganti contradictionem haud ita videatur. (hoc enim pacto duntaxat) id est, sic enim sumenti rem quampiam quae res eadem nunc sit, & postea, licet non sic ei videatur, qui contradictionem destruit: redarguetur is qui contradictionem simul veram esse tuetur, seu qui contradictionem demolitur. atque hoc quidem & huiusmodi est primum preceptum. Alterum preceptum est, interrogandum esse aduersarium, nunquid intelligat & sentiat, ac nostrorum dictorum intellectum quempiam & notitiam habeat, an non? Necessesse est enim ut sensum habeat & cognitionem, qui si utroque careat, plantae simillimus erit, aduersus quam nemo sanae mentis disputaret. Tertium preceptum, statuendum esse cum aduersario, vnumquodque nomen de quo dicatur certum esse, & aliquid significare. neque enim vocabulum homo nihil significat, nec temere de quolibet praedicatur, sed bipedis animalis nota est: pari ceterorum nominum ratione. Quartum, vnumquodque nomen rem vnam, non plures significare: & si quod nomen sit quod plura significet, nec vnum tantum, ut canis, distinguendum esse & constituendum in quo canis intellectu fiat oratio, num terrestris canis intelligatur, an stella. His enim praesumptis atque positis, paruo negotio aduersarium conuincemus. Quatuor igitur precepta vel quinque, nam licet eadem efficere quinque, sunt quibus ad huiusmodi redargutionem instructi esse debemus. Primum, ut sumatur aliquid quod sit idem & nunc, & postea. Secundum, ut alter alterum intelligat, & cognoscantur quae ab utroque dicuntur. Tertium, ut statuatur nomen quodque notae significationis esse, exempli causa, homo vocabulum de animali bipede praedicari, equum de quadrupede hinc nibili. Quartum, ut ponantur nomina res aliquas significare. Quintum, ut vno nomine rem vnam non plures significari constet: aut si plura significet, definiatur in quo intellectu proferatur. Ac sensus quidem dictorum ad hunc modum sese habet, quod vero pertinet ad dictionem, huiusmodi est. (Ad eum vero qui dictiones oppositas veras simul asserit esse, ei qui ostendit) id est, homini ostendenti & redarguenti eum qui oppositas dictiones simul veras esse dicit. huiusmodi igitur homini ante redargutionem necesse est quampiam rem talem accipere, quae re vera eadem sit, eiusdemque naturae. & subaudiendum est, nunc & postea. si quis ergo velit contradictionem negantem redarguere, rem aliquam sumat, quae nunc & postea sit eadem. Causam vero cur eadem sit futura, reddit cum ait (quia fieri non potest, ut idem sit atque non sit) id est, quoniam fieri nequit, ut qui nunc est homo, postea non sit homo, si tamen viuit, nec naturae concessit. Nam ut hodie homo est, sic item cras erit homo, si vixerit. Illud autem (non tamen idem videbitur esse) coniungendum est cum illo (quod idem erit) cui quidem cohæret, ac proximum est. Nam tale quidpiam, inquit, sumendum est, quod idem erit, quanquam hoc non videatur ei qui contradictionem demolitur, sic igitur quemadmodum dictum est, nobis est faciendum, quoniam sic duntaxat propositum nobis licebit demonstrare aduersus errorem quo contradictionem de eodem simul veram esse contenditur. Praeterea qui orationem inter se communicare, siue disputare debent, hi ut se, hoc est alter alterum intelligant oportet. cuius causam adijcit, dicens, (Nam si id non fiat) id est, Nam nisi alter alterum intelligat, nec omnino vicissim dicta intelligantur, quomodo colloquium aut disputationem usurpare poterunt? Ad haec ut quibus nominibus utimur disputantes, horum quodque notum sit oportet, & vnum significet: aut si plura, in qua notione dicatur, explicare necesse est.

Contradictionem simul esse veram fatentis confutatio, non ratio.

Qui igitur hoc esse & hoc non esse dicit, is sane quod omnino esse dicit, id dicit non esse. Quare quod nomen significat, id non significare dicit. hoc autem est impossibile. Quare si quippiam hoc significat, esse inquam hoc, fieri non potest, ut contradictio de eodem sit vera. Praeterea si quippiam ipsum nomen significat, atque hoc vere dicitur, id necessario sit oportet. At quod necessario est, id fieri non potest ut interdum non sit. non ergo fit, ut contradictoria de eodem sint vera.

Qui igitur hoc esse & non esse dicit, is sane quod omnino esse dicit, id dicit non esse.) Expositis ijs 15  
 quæ præijci debent ad eos redarguendū, qui tollunt contradictionem, deinceps redargutiones adhi-  
 bet, in hanc sententiam edisserens. Cum nobis positum sit singulis nominibus res singulas significa-  
 ri, & singula nomina notæ certæque significationis esse, de quo videlicet vnūquodque dicatur, & de quo  
 non, si contradictio simul vera est, hæc quæ posita sunt, erunt sublata. Nam si hoc nomen homo vnā  
 rem significat, & quam rem significet certū est, animal scilicet bipes: si ergo homo significat animal  
 bipes, ac de eodem non homo vere dicitur, non igitur vnum tantum homo significat, id est, non solū  
 animal bipes, sed etiam aliud, de quo non homo prædicabitur. fieri ergo non potest, si homo signifi-  
 cat vnum, vt de quo prædicatur, de eodem non homo prædicetur. Ipse vero dixit, (Qui igitur hoc  
 esse & hoc non esse dicit, is sane quod omnino esse dicit, id dicit non esse) id est, qui hoc quod propo-  
 nitur exempli causa hominem si dicit, de ipso vere prædicat non hominem: quod hominem dicit, id  
 non est homo, sed quiddam ab homine diuersum. quapropter de ipso vere dicitur non homo. Nam  
 si est animal bipes quod hominem dicit, & de ipso non hominē prædicat, nihil aliud dicit, quàm no-  
 men homo significans animal bipes, non significare animal bipes. quod fieri nō potest. positum est  
 enim singulis nominibus res singulas significari. quare si homo significat animal bipes, falsum dictū  
 est, non hominem de ipso quoque prædicari. ac proinde fieri haud dubie non potest, vt contradictio  
 simul sit vera. (Præterea, inquit, si quidpiam ipsum nomen significat, atque hoc vere dicitur, id neces-  
 sario sit oportet.) Nam si ignis calidam & siccam naturam significat, necesse est vt hæc natura ca-  
 lida sit atque sicca. quod autem esse necesse est, id vt non sit, fieri non potest. quamobrem de ipsa non  
 poterit vere prædicari non ignis siue non calidum & non siccum. Falsum ergo dictū est, contradic-  
 ctionem in eodem simul esse veram.

Præterea si non magis affirmatio sit quàm negatio vera, qui dicit hominem aut nō  
 hominem, non magis dicet verū. Videbitur autem & hominē ipsum nō equum esse di-  
 cens, aut magis, aut nō minus dicere verum, quàm si non hominem esse dicat. Quare si  
 equum & dicat eundē esse, verū similiter dicet. Oppositæ nanque veræ similiter diceban-  
 tur. Fit igitur vt idem homo sit atque equus, aut quippiam animalium cæterorū. atque nul-  
 la quidem rationum istarum demonstratio est absolute, est tamen ad eum demonstratio  
 qui hæc ponit. At enim & ipsum quispiam Heraclitum si hoc interrogasset pacto, fate-  
 ri cito cogisset nunquā oppositas dictiones veras de eodem esse posse. Nunc vero non  
 animaduertens quid dicit, hanc sibi sumpsit opinionem.

Præterea si non magis affirmatio sit, quàm negatio vera.) Horrendum in primis dictū est hoc 16  
 quod generosissimum. quod vero dicit, est huiusmodi. si de vno atque eodem nihilo verior est affir-  
 matio quàm negatio, sed ex æquo vtraque dicitur de eodem, qui Socratem hominem esse dicit, is ni-  
 hilo veracior est, quàm qui eundem non hominem esse ait. At si qui non hominem ipsum ait, verū  
 dicit, certe multo magis qui non equum eundem esse affirmat, cum Socrates equus non sit. quod si  
 de Socrate vere dicitur non equus, etiā vere prædicabitur equus, quoniam istis contradictionē simul  
 veram esse placet. Socrates igitur, vel quod honestius dictū est, Protagoras homo erit atque equus.  
 Rursus cum de Protagora vere dicatur non bos, bos etiā de ipso vere prædicabitur: & sic non bos  
 Protagoras erit homo, & equus atque bos, & cætera omnia. Dictorum ergo sensus ad hunc modū ex-  
 plicatur. Quod autem pertinet ad dictionem illam, Videbitur autem hominem ipsum nō equū esse  
 dicēs, aut magis aut non minus dicere verum, quàm si non hominem esse dicat, huiusmodi est, cum  
 dixisset, si cōtradiçtio simul esse vera statuatur, qui dicit hominem, eum nihilominus verum dicere,  
 quàm qui non hominem ait, intulit (videbitur autem non equum esse dicens) id est, qui hominē di-  
 cit non equum, verius dicit, quàm qui eundem non hominem ait. Cōuenientius enim est hominem  
 non equum dicere, quàm nō hominem. Qui ergo hominē non equum dicit, verius loquitur, quàm  
 qui non hominem ait: vel si non verius, at certe nihilominus vere dicit. Hęc effatus, nullam harū ar-  
 gumentationum simpliciter & proprie demonstratiōem esse ait, sed esse demonstratiōem siue redar-  
 gutionem in eum qui contradictionem simul veram esse statuit. Qua opinione ad hunc modum res-  
 futata, futurum fuisse ait vt facile conuinceretur Heraclitus, ne idem & vnum bonum & nō bonum  
 esse diceret, album & non album, si quis illum hæc & ad hunc modum interrogasset. Nam ipse idcir-  
 co in illum errorē lapsus est, quoniam seipsum non intelligebat, nec verba discutiebat sua: qui si di-  
 spexisset, vt fieri non possit, vt idem verum sit, & non verum, bonum & non bonum, nūquam affir-  
 masset contradictionem simul esse veram.

Omnino autem si id quod ab ipso dicitur, verum sit, neque id ipsum verum etiam erit,  
 idem inquam vno eodemque tempore esse atque non esse posse.

Omnino autē si id quod ab ipso dicitur, verum sit, neque id ipsum verū etiam erit.) Si, inquit, He- 17  
 racliti dictum verum est, quod autem sit dictum illius, subiicit, posse videlicet idem vno eodemque tem-

pore esse & non esse. Si ergo ex Heracliti sententia verum est contradictionem simul esse veram, id ipsum, id est oratio qua hoc dicitur, falsa erit. Nam si verum est dictu contradictionem simul esse veram, illud quoque verum erit, contradictionem non esse simul veram. & si verum est non esse simul veram, falsum fuerit affirmare illam esse simul veram, ac proinde Heracliti sententia falsa est.

Nam ut & diuisis ipsis non magis est affirmatio quam negatio vera, sic si vtrunque atque complexum ut vna quaedam sit affirmatio, non magis ipsa negatio quam totum ipsum fuerit verum, ut affirmatio positum. Præterea si non sit ut quicquam vere affirmetur, & id ipsum erit utique falsum, nullam inquam affirmationem dicere esse veram. Quod si sit verum, soluetur id profecto quod ab hisce dicitur, qui talibus obstant, atque omnino disputationem e medio tollunt. Simile est hisce quæ dicta sunt, & id quod a Protagora dicebatur. etenim ille rerum omnium hominem mensuram esse dicebat, nil aliud ex eo nimirum innuens, quam id esse certo, quod cuique videtur, atque apparet: quod si fiet, euenit profecto, ut idem sit & non sit, & bonum sit & non bonum, cæteraque omnino quæ per oppositas dictiones dicentur, propterea quod persæpe idem his bonum, illis vero malum esse videtur, & id est mensura, quod cuique apparet atque videtur.

18 Nam ut & diuisis ipsis non magis est affirmatio quam negatio vera. ) Perstat in Heracliti sententiæ refutatione. quod autem dicit, huiusmodi est. Nam quæadmodum per Heraclitum verum est dicere priuatim ac separatim, Socrates non est homo, atque item Socrates est homo, quæ quidem appellat diuisa, sic copulata & vnita, & quasi affirmatio vna accepta, vera fuerint. Itaque verum fuerit dictu, Socratem esse hominem, & non hominem. quod si verum est, illa quoque negatio de eodem vera fuerit, Socrates neque est homo, neque non homo. At quid dictu absurdius esse potest, quam Socratem esse & hominem & non hominem, eundemque neque hominem esse, neque non hominem? Itaque diuisa, ut dixi, vocat, affirmationem separatim dici, atque item negationem priuatim: coniuncta vero & copulata, dicere ipsa ut affirmationem vnã. Illud vero, (Nō magis ipsa negatio, quam totum ipsum fuerit verum, ut in affirmatione positum) in hunc sensum accipi debet. Ut enim per Heraclitum in quocumque affirmatio vera est, in eo etiam negatio, sic affirmatio & negatio simul ut vna affirmatio dictæ veræ fuerint. exempli gratia bonum non bonum. si autem hoc verum est, negatio quoque huius vera fuerit, quæ ait neque bonum neque non bonum. (Præterea, inquit, si non sit ut quidquam vere affirmetur, & id ipsum erit utique falsum) id est, si omnis affirmatio falsa est. nam quidquid non est verum, falsum est. si ergo affirmatio omnis est falsa, id ipsum, hoc est omnem affirmationem esse falsam, falsum est dictu. hoc enim significant verba illa, (Nullam affirmationem dicere esse veram) hoc igitur ipsum falsum erit. Nā si omnis affirmatio falsa est, & ipsum dicere, omnis affirmatio est falsa, est affirmatio, falsum profecto fuerit omnem affirmationem esse falsam (Quod si verum est) id est, si dicerent isti omnem affirmationem esse veram præter hanc, omnis affirmatio est falsa, hanc enim solam ex affirmationibus veram esse: tamen falsum esset dicere, omnis affirmatio falsa est. quemadmodum si quis omnem hominem esse album dicat, & vnus reperiat non albus, falsa est eius oratio quæ ait omnem hominem esse album. ac proinde (soluetur id quod ab hisce dicitur, qui talibus obstant, atque omnino disputationem e medio tollunt) quoniam si affirmatio hoc est quod negatio, non licebit disputare. similis autem, inquit, Heracliti sententiæ est opinio Protagoræ. hic enim cunctarum rerum mensuram hominem esse dicebat. nihil aliud dicens quam quia mel alijs videtur dulce, alijs amarum. ideoque mel & dulce & amarum esse, quod constanter in esse dulce atque amarum permaneat.

Soluetur autem hæc dubitatio, si prius contemplabimur vnde orta hæc existimatio fuit. Quibusdam enim ex opinione naturalium orta fuisse videtur. Quibusdam ex eo, quia non omnes eadem de eisdem cognoscunt, sed alijs hoc dulce, alijs contrarium esse videtur. Nihil enim ex non ente, sed omne ex ente fieri, opinio fere omnium naturalium est communis. Cum igitur ex perfecte albo minimeque non albo fiat ac oriatur non album, si nunc generetur non album ex eo quod est non album, ex non ente ipsum illorum sententia fiet, nisi idem & non album esset, & album. At non difficile est hanc soluere dubitationem. Dictum est enim in naturali scientia, quoniam pacto ex non ente, & quo pacto ex ente fiunt ea quæ generantur.

19 Soluetur autem hæc quæstio, si prius cōtemplabimur vnde orta hæc existimatio fuit. ) Soluturus Protagoræ rationem, causam in primis reddendam esse ait, quæ hunc & cæteros in huiusmodi sententiam induxit, & quosdam sententia Physicorum ductos hæc tradidisse testatur. Quæ Physicorum sententia cuiusmodi sit explicans ait, quoniam ex non ente nihil fieri, id est ex eo quod nullo modo est, effici nihil, sed quidquid sit, ex aliquo ente & subiecto effici, omnium fere physicorum comune decretum est. Nā

hic est dictionis ordo. deinde sequitur illud (quibusdam quia non omnes eadem de eisdem cognoscunt) id est, quibusdam accidit ut talia de rebus & contradictione traderent, propterea quod non omnes de eisdem eadem existimant. Nam quod his dulce videtur, hoc amarum alijs. quo fit, ut non omnes idem dulce esse arbitrentur, nec vicissim amarum. Sed cum dixisset, quosdam ex communi physicorum sententia in hanc opinionem venisse, alios ex eo quod non omnibus eadem viderentur, prius exponit quomodo ex physicorum sententia quibusdam occasio data fuerit, ut album etiam non album esse dicerent, & dulce non dulce: sed valde obscure & tenebrosae hae interpretatur. Cum igitur, inquit, non album fiat ex eo quod perfecte est album, minimeque non album, id est, cum per me Aristotelem & reuera non album fiat ex perfecte albo siue pure albo, & nequaquam non albo, id est non ex eo quod partim est album, partim non album, sed ex albo perfectissimo. Nam si non album fit, ex omnino albo efficietur. Cum igitur non album, ut dictum est, fiat ex albo (nunc autem factum non album) id est, per eos autem qui contradictionem simul veram esse aiunt, quod efficietur non album, non fit ex albo, ut nos dicimus, sed ex non albo. isti enim non album ex non albo generari comminiscuntur: per istos igitur, si fiat non album, nihil aliud eueniet, quam quod fit non album, id est ex non albo fieri: cum contra oporteret, ut ex albo fieret. quod si non album fiat ex non albo, non album per ipsos ex minime ente efficietur (nisi idem & non album esset & album) id est, nisi non album idem esset, atque album. sic enim per hyperbaton legendum est. Ac dictionem quidem explicauimus, sensum autem huiusmodi esse puto, Qui Physicorum sententiam sequuti, ea quae diximus tradebant, propositionem ex inductione sumebant falsam, ad hunc modum, ut homo ex homine fit, equus ex equo, sic non album ex non albo efficietur, non ex albo. quae quidem propositio falsa est. Nam licet homo ex homine procreetur, proxime tamen ex semine virili, & mensibus muliebribus, quae homines non sunt, generatur. Hae igitur propositionem falsam assumentes, quod scilicet non album ex non albo, non ex albo generatur, & alteram item falsam, scilicet omnes negationes non entia ex non entibus significant, in hunc modum argumentabuntur. si non album efficietur, utique ex non albo efficietur. non album autem est non ens, non album igitur ex non ente efficietur. at ex non ente nihil fieri, Physicorum est consensus. non igitur efficietur non album ex non albo, siue ex non ente. ergo efficietur ex ente. At si non album est non ens, album proculdubio erit ens, ac proinde album, vel quod est tantumdem, ens, id erit, ex quo efficietur non album, cum quod efficietur, ex ente fieri oporteat. Sed rursus quatenus non album per istos efficietur ex non albo, id ex quo non album efficietur, erit non album. id igitur ex quo non album fit, album erit, & non album. Et item dulce, & non dulce, id ex quo efficietur dulce. cui similis est ceterorum ratio. quod si verum est, contradictio simul vera fuerit. hanc igitur quaestionem soluens, verum dictu esse ait, non album ex non ente fieri, non tamen ex non ente simpliciter, sed ex non ente aliquo, & aliquo non ente, de quibus est in libro primo Physici auditus disputatum. Sed quaerat aliquis in ea quae initio explicandae dictionis dicta sunt, quomodo ait non album ex perfecte albo fieri: cum non album quiddam exempli gratia fuscum ex non albo efficiatur, hoc est ex nigro. An, ut puto, hoc dixit ad nostram imaginationem spectans? Nam cum omne quod fit, ex negatione sui fiat, simul atque audimus fieri non album, imaginamur eius negationem, id est, album.

Atque fidem utrisque similiter opinionibus eorum ac imaginationibus adhibere, qui inter sese contendunt, insignis dementiae est. Constat enim alterum ipsorum necessario dicere falsum. Patet autem ex hisce quae fiunt in sensu. Nunquam enim idem alijs dulce, alijs contrarium videtur, si non corruptum atque infectum instrumentum eius habeant sensus, qui dictos sapes discernit. Quod cum est tale, alteri putandi sunt mensura, alteri non putandi. Idem & in bono, & honesto, ac turpi & istiusmodi ceteris est censendum.

Atque utrisque similiter opinionibus eorum atque imaginationibus attendere, qui inter ipsos contendunt, stultum est. inter ipsos dixit pro inter se inuicem. haec autem verba ad solutionem spectant eius rationis, quae quoniam non eadem omnibus videntur, idcirco idem bonum & non bonum, & album idem & non album esse statuit. Stultum igitur esse ait, inter se dissidentium sententias accurate discutere. nam quid magis alienum dici potest, quam idem & dulce esse, & non dulce, propterea quod recte valenti dulce videatur, aegrotanti non dulce: cum aegrotantes haud dubie decipiantur, quippe quibus cum recte valerent, non videbatur illud non dulce, sed dulce, quod aegrotantibus idcirco videtur amarum, quoniam ipsorum sensorium est debilitatum, & id quo iudicium de huiusmodi saporibus fertur. quod cum ita sit, par est, ut recte valentes, qui sanum sensorium obtinent, mensura rerum sint, deque his recte iudicare existimantur, & res tales esse dicantur, quales ab his esse dicuntur, nec aegrotantibus fidem habeamus. Eadem est boni turpisque ratio. Nam quae homines studiosi bona esse dicunt, ea bona sunt appellanda: quae mali, non item. Ut enim recte valentes ad aegrotantes, sic ad malos studiosi sese habent.

Illud enim censeretur non aliud esse constat, quam tot esse ea putare oportere, quot hiis videntur, qui sub visu digitorum submitunt, atque faciunt ut ex vno duo tunc videantur,

Recte valentes, rerum mensura sunt. Aegrotantibus fides non habenda.

propterea quòd illis tot esse videtur, & rursus vnũ. nã hisce qui visum nõ mouet, ipsum vnum, nõ plura, sed vnum esse videtur. Omnino autem absurdum esse videtur ex eo de veritate iudicium facere, quia res quæ hic sunt, mutari videntur, & nunquam in eisdem persistere. Oportet enim ex hisce veritatem venari, quæ semper eodem modo sese habent, mutationemque nullam suscipiunt. Talia vero sunt ea, quæ sunt in cœlo. Hæc enim non interdum talia, interdum non talia, sed semper eadem videntur, nullamque mutationem suscipere.

21 Illud enim censeretur non aliud esse constat, quàm tot esse &c.) Sensus est. affirmare idem dulce & amarum esse, propterea quòd mel recte valenti dulce, idem ægrotanti amarum esse videtur, simile est ac si idem vnum & non vnum esse dicas: quoniam si subiecto digito moueas visum, quod vnum est, id tibi duo esse videbitur. idem vnum tantum existimabitur, si quiescente oculo intuearis. Absurdum est enim dictu, vnum esse duo, cum tranquillius visus vnum esse renunciet, quod eidem concitato duo esse videtur. Vt igitur hoc ridiculum est, sic item dulce idem esse atq; amarum asserere, quoniam huic dulce, illi amarum esse videatur. Hæc effatus, absurdum omnino esse ait, quoniam circumterranea nobisque familiaria fluxa instabiliq; esse videantur, ab his sumpto argumento, talia de veritate constituit: cum sit æquius, & magis philosopho dignum, a sempiternorum constantia, quæque nulla præterquam loci mutatione conuariant, quidnam verum sit aucupari. Mundum autem vocat celestes globos, & stellas.

A sempiternorum constantia veritas magis est aucupanda.

Præterea si est motus, atque aliquid mouetur, omne autem quod motu ciatur, ex aliquo atque ad aliquid pergit: id sane quod mouetur, in illo esse ex quo mouetur, & non in ipso esse, & ad hoc moueri, atque in hoc esse sententia ipsorum oportet, vel non sunt simul contradictoria vera.

22 Præterea si est motus, atq; aliquid mouetur, omne autem quod motu ciatur, ex aliquo atq; ad aliquid pergit.) Hoc quoq; ad redargutionem illorum pertinet, qui contradictionem simul esse veram aiebant. Dicit autem, quoniam cum motus sit, necesse est ut sit aliquid quod moueatur: quidquid autem mouetur, ex aliquo mouetur, & in aliquid: idcirco ut quod mouetur, in illo sit oportet. sit igitur per eos qui contradictionem simul esse veram tradunt, ut quod mouetur, sit in termino ad quem mouetur, & non sit: similiter in quo motum fuerit, sit, & non sit. hoc autem consequi, hinc intelligere licet. Nam cum id quod ex aliquo motum esse debet, quiescens in illo, ex illo moueatur, quatenus in illo quiescit, est in illo, & non est in illo, si quidem contradictio simul vera est. siquid enim ex albo moueri debet, id in albo est, & in ipso quiescit. Cum autem per hos de albo non album vere predicetur, non erit in albo. est igitur in albo, & non est in albo. Rursus quoniam mouetur in nigrum, non est nigrum. at cum non nigrum per istos nigrum etiam sit, sit in hoc, id est, est etiam in nigro. Nam sit hoc in loco, pro est positum est. Sed verba quæ Græce proxime sequuntur, obscurissimam reddunt orationem. Articulus enim generis neutri, & (autem) coniunctio, pro vel dicta sunt: ut dictio tota concinne ad hunc modum explicari debeat. si motus est, & aliquid quod moueatur, omnis autem res ex aliquo in aliquid mouetur, id quod mouetur, vel erit per istorum doctrinam in eo ex quo mouetur, & non erit, vel contradictio non erit simul vera. si ergo illa fieri non possunt, verum fuerit contradictionem non esse simul veram.

Et si ea quæ sunt, hic fluunt continue ratione quantitatis, atq; mouentur, idq; quispiam ponet, & si veritatis metas egreditur, cur ratione qualitatis non manent? Videtur enim ex eo quoque de eodem contradictoria prædicare, quia quantum in corporibus manere non putant. Quapropter idem & quatuor cubitorum esse atque non esse censent. At substantia ad qualitatem accommodatur, atque hæc est definitæ naturæ, quantitas vero indefinitæ. Præterea cur medico cibum hunc sumere iubente sumunt? non est enim hoc panis potius quàm non panis: quare nihil refert, comedant, an non comedant. Nunc vero quia ille circa ipsum verum dicit, atq; est eis cibus, quem ille iussit, hunc ipsum sumunt, & tamen non oportebat non permanente in sensibilibus natura fixa vlla, sed subeuntibus semper motum, continuoq; fluëtibus vniuersis. Præterea si alteramur semper, & nunquam iidem manemus, quid mirum si eadem nobis ut ipsis ægrotantibus nunquam videntur? Etenim hisce quia non perinde habitu sunt dispositi, atque cum sani erant, ideo non similia videntur ea quæ sensu percipiuntur, ipsa quidem nullam subeuntia ob id ipsum mutationem, impressiones autem in sensu ipsis ægrotantibus efficientia diuersas ob sensuum instrumentorum variam dispositionem, & non eadem. Er-

go & cum dicta mutatio fit, eodem modo rem sese habere fortasse necesse est. Quod si non mutamur, sed ijdem manemus, erit in rebus profecto quippiam manens.

Et si ea quæ sunt hic, fluunt continue ratione quantitatis.) Cum res per formam habeant ut sint, atq; dicantur id quod dicuntur, per materiam vero (hæc enim appellat quantum, ut paulo post formam quale vocabit) ut continenter fluant, si quis inquit nostratia continenter secundum materiam fluere concedat (quanq̄ id verum non est, neq; enim quæ auferunt, & incrementum recipiunt, continenter fluunt, neq; lapides & pleraq; alia) cur propter quale & formam non dicantur persistere? Quale enim siue forma & substantia non fluit, sed manet eadē. Si ergo isti contradictiones idcirco de eodem atq; vno prædicat, ut videntur, quia quantum & materiam non persistere putat, cum maneat quale, atq; forma determinata sit a qua rebus esse suppeditatur, profecto istis ob hanc ipsam contradictionis veritas potius erat inficianda. Nam si res continenter fluere rati, contradictionem simul esse confirmat, si eadem non fluere ipsis fuerit probatum, par est ut contradictionem simul veram esse negent. Præterea, inquit, si contradictio simul vera est, panis erit non panis. Cum ergo istis medici pane vesci præcipiunt, cur allatum panem non negant esse panem, eundemq; abijciunt, sed accepto ut pane vescuntur? Suis igitur operibus isti se non ex animi sententia talia dicere testantur. (Quare nihil refert, comedat, an non.) Nam si comedere hoc est, quod non comedere, par esset ne comederent. (Tamen non oportebat non permanente natura fixa vlla) id est, non oportebat ut panis esset, quod admouet quali panem, cum per ipsos nullo tempore quidq̄ idem persistat. Præterea, inquit, quoniam per istos continenter alteramur, nec vnquam ijdem persistimus, idcirco nunquam res eadem nobis esse videtur, non quod res eadem dulces sint, & non dulces: bonæ, & non bonæ. ut enim motus per sensus a sensibilibus excitari non perinde laborantibus atq; valentibus videntur, propterea quod alio nunc ægrotantes habitu tenentur, quam prius cum recte valerent, (eodem modo rem sese habere necesse est) subaudiendum est, in nobis. Itaq; res eadem sunt, sed nobis aliâs aliâs videtur esse, cum supradicta, id est continens mutatio in nobis versetur. Si quis ergo nos continenter mutari dicat, quæ diximus, consequetur. sin autem non mutamur, sed ijdem persistimus, & in identitate perseveramus, nimirum aliqua sunt quæ persistunt, nec fluunt, in quibus non erit simul vera contradictio.

Eorum igitur sententias qui dubitationes dictas habent ex ratione, non est facile dissolvere, si non aliquid ponant, atque huiusce non ulterius postulent rationem. Sic enim omnis ratio, omnisq; demonstratio fieri solet. Nihil enim ponentes, disputationem atq; rationem omnino tollunt. Quare non erit ad tales homines ratio. At hisce qui per dubitationes traditas dubitant, facile est obuiam ire, atq; ea dissolvere quæ in ipsis faciunt dubitationem: idq; ex hisce quæ dicta sunt, patet. Quare perspicuum ex his euasit, contradictorie opposita de eodem vno in tempore vere dici non posse, neq; contraria, propterea quod contrarietas omnis per priuationem atq; habitum dicitur: quod quidem patet, si rationes contrariorum ad principium resoluantur. Similiter neq; quicquam eorum quæ media sunt, de vno prædicari eodēq; potest. Nam si subiectum sit album, dicentes ipsum nec album nec nigrum esse, falso dicemus. Accidit enim album ipsum esse, atq; non esse. etenim alterum complexorum de ipso vere dicitur. Hoc autem est contradictio albi. Neq; igitur si ut Heraclitus, neq; si ut Anaxagoras censebat, dicamus, fit ut vere dicamus: alioquin eueniet, ut de eodem contraria prædicentur. Cum enim in quouis cuiusuis partem esse dicit, tunc non magis dulce dicit esse, quam amarum, aut reliquarum quantum contrarietatum. Siquidem in quouis quodq; non potentia solum, sed actu segregatumq; inest. Similiter non fit, ut dictiones omnes aut veræ sint, aut falsæ, tum ob alias complures sane difficultates, quæ ob hanc concludi positionem, accumulariq; possunt, tum etiam ex eo, quia si vniuersæ sint falsæ, neq; id ipsum si quispiam dixerit, verum dicit. Sin omnes sint veræ, si falsas dixerit esse, non false dicit.

Eorum igitur sententias qui dubitationes dictas habent ex ratione, non est facile dissolvere, si non aliquid ponant.) His verbis docet nos, eorum qui talia tradunt, qui possint ad sanitatem redire, & ab huiusmodi errore vendicari, & qui secus. qui ergo, inquit, sic rationibus persuasi sunt, ut non solum rationem quæ idem album & non album esse demonstrat, veram & inuictam esse dicant, sed etiam quod vident, id hominem esse, & non hominem, in hos difficilis est ratio disputandi, atq; adeo fieri non potest ut rationes soluantur, quibus ut talia dicant & sentiant, fuerunt adducti, si nihil neq; ponant neq; concedant, neq; rationem requirant qua solui possint rationes quibus adducti fuerint. si quis enim eo demetia ac stuporis processit, ut ne suo quidem sensui fidem habeat, sed cum Socrate videt, ut hominem ipsum ac ut non hominem videre confirmet, is quomodo contradicentem audire sustineat, aut omnino quidq̄ concedere? At si nihil isti ponunt, neq; concedunt, qua ratione licebit eos con-



uincere, cum omnis ratio, omnisque demonstratio ex positione ac confessione aliqua proficiatur. Cæterum deficienter admodum in principio dictio illa dicta esse videtur, quæ ait, (Eorum igitur sententias, qui dubitationes dictas habent ex ratione, non est facile dissoluere, si non aliquid ponant.) hic enim desideratur hoc, & qui res tales sibi videri aiunt, ut plena oratio sit huiusmodi quibus hæc dubitationes iniectæ sunt a ratione ipsis obiecta, quæ ipsos adduxit ut res affirmant tales sibi videri, quales esse aiunt, in eos nulla ratio est, nulla redargutio. qui vero ambigentes, sic autem, hic quidem homo est, nec nobis non homo videtur, sed rationibus victi eundem hominem & non hominem esse dicimus, eis occurrere non est factu difficile, atque eorum dubitationes supradicta ratione diluere. Hi enim cum sensui fidem adhibeant, rationem vsui rerum ac sensibus consentientem audire per cupiunt. Quare, inquit, perspicuum ex his euasit, contradictorie opposita de eodem vno in tempore vere dici non posse, neque contraria, propterea quod contrarietas omnis per priuationem atque habitum dicitur, quoniam priuatio & habitus eiusdem simul esse non possunt. Dici autem contraria per priuationem, planum esse ait contrariorum rationes ad initium resolutibus, id est, rationes contrariorum summentibus. Nam si valetudo est calidorum atque siccorum temperamentum, morbus utique horum distemperamentum fuerit. distemperamentum autem priuatio est temperamentum. contraria igitur ut priuatio & habitus de eodem prædicari nequeunt, similiter neque quidquam eorum quæ media sunt contrariorum, ut fuscum & similia de vno & eodem simul valent prædicari. Nam si subiectum est album, non licet ipsum neque nigrum neque album dicere. id est, si album est, non licet ipsum appellare fuscum. fieret enim ut idem album esset, & non album. Sed quoniam nigrum & album copulauit dicens, neque nigrum neque album, deinde cum dixisset falsum dictu esse, album neque nigrum esse, neque album, adiunxit, (Etenim alterum complexorum de ipso vere dicitur.) hoc est, album de albo vere prædicabitur, non medium siue fuscum. Illud vero (hoc autem est contradictio albi) propter non album dixit. quod si non album est contradictio albi, utique non album haud vere de albo prædicabitur. Demonstratum est enim contradictiones simul veras esse non posse. Album igitur de albo vere prædicabitur. nam verum est dictu album esse album. & concludit dicens, (Neque igitur si ut Heraclitus &c.) est autem sensus. Non igitur verum dicemus, si idem bonum & non bonum esse dixerimus, ut Heraclitus aut Anaxagoras censebat. Nam si dicentes, ut illi dicebant, verum dicere putemus, fiet ut contraria de eodem prædicentur: quod fieri non posse demonstratum est. Docet autem quomodo fiat per Anaxagoram, ut contraria in eodem simul sint. Nam cum in omni & quauis re omnia esse dicit Anaxagoras, dulce, amarum, album, nigrum, & cætera cuncta (nam omnia in omnibus non potentia, sed actu ac separata & per se esse ait, nihil aliud dicit quam contraria esse in eodem. Similiter, inquit, non fit ut dictiones omnes aut veræ sint, aut falsæ) id est, perinde errant qui omnia falsa esse dicunt, atque ij qui cuncta vera esse confirmant. Dictiones enim appellat sententias quæ de rebus habentur. Nam si omnes sententiæ falsæ sunt, haud dubie illa quoque falsa erit, quæ omnes falsas esse dicit. Itaque falsum erit dictu omnem affirmationem esse falsam. at si omnis affirmatio vera est, vera est igitur ea quæ ait, omnis affirmatio est falsa. & si verum est omnem affirmationem esse falsam, falsum erit omnem affirmationem esse veram. Itaque omnem esse falsam, tam falsum dictu est quam omnem esse veram.

Contraria  
per priua-  
tionem dici.

Omnis autem scientia principia quædam circa vnumquodque eorum quæ sub se cadunt, atque causas quærit: ut medicina, ut corporum exercendorum facultas, & quæque cæterarum effectricum, mathematicarumve. nam harum quæque genus quodpiam definitum sibi assumens, quod quidem sit in rerum ratione, entisque subeat rationem, circa id ipsum versatur, pertractationemque facit, non tamen ut ens est, entisque subiicitur rationi. At hæc alia quædam est scientia præter illas. Dictarum autem quæque scientiarum ipsum quid est, aliquo modo in vnoquoque genere sumens, reliqua mollius aut exactius demonstrare conatur. Sumunt autem ipsum quid est, aliæ per sensum, aliæ supponentes. Quapropter & ex tali patet inductione, substantiæ, & ipsius quid est, demonstrationem non esse.

25 Omnis autem scientia principia quædam & causas quærit.) Propositum ei est hoc in loco, ut sapientia quo discreper a cæteris disciplinis, ostendat. quod discrimen explicat docens cæteras disciplinas accipientes aliquam entis partem quasi existentem ac entitatis participantem, demonstrare que illi per se accidunt, non qua est ens, sed in eo quod est talis. Nam Geometria propositis sibi lineis, ea considerat quæ illis accidunt in eo quod tales sunt, id est in eo quod quantæ & continuæ, non in eo quod sunt entia. Et Physica sua subiecta non in eo quod entia sunt, contemplatur, sed in eo quod principium motus in se habent. cui similis est cæterarum doctrinarum ratio. Itaque hoc sapientiæ ac cæteris doctrinis interest, quod illarum quædam sibi subiecta ut quanta & continua considerat, quædam ut mobilia, & alia item ratione alia. nulla tamen ipsorum quæ sit continui aut lineæ natura cõquirat, sapientia vero esse & naturam ipsorum considerat, & de ipsis in eo quod entia sunt contemplatur. Nam esse cuiusque ipsius natura est, omnis ergo scientia, inquit, principia quærit & assumit, sed

Sapientia  
quo a cæte-  
ris discipli-  
nis distet.

nulla ipsarum principia, vel quæ ex principijs existunt, in eo quòd entia sunt, contemplatur, vt diximus, sed quædam alia est, sapientia videlicet appellata, quæ de naturis ac definitionibus edisserit, & omnino ipsarum esse quid sit, inuestigat. medicina vero, physica, mathematica, & ceteræ, quas supra commemorauimus disciplinæ, sui quæq; generis quid est, siue definitionem vt manifestum quiddam & confessum assumunt. Neq; enim mathematicus longitudinem latitudinis expertem lineæ definitionem esse demonstrat, sed quòd eius definitio sit, vt indubitatum assumit. Harum igitur quæq; pro confesso sumens hanc definitionem seu descriptionem huius esse principij quæ sub principijs cadūt: quædam remissius molliusq; demonstrat, vt Astronomia: accuratius alia, vt Geometria. Neq; vero disciplinæ omnes principia similiter assumunt, sed physica exempli gratia accepto per sensum, ignem calidum esse atq; siccum, aquam frigidam & humidam, ipsorum opera & affectiones cōsiderat, Geometria vero non sensus argumento, sed positione pūctum id esse ait, cuius nulla pars est. Cum igitur omnes scientiæ, vt dictum est, neq; suorum principiorum definitiones demonstrent, sed pro confesso hanc esse huius accipiant, neq; definitiones eas quæ a principijs proficiscuntur, hac inductione palam fit, substantiæ & quid est seu definitionis non haberi demonstrationem, quod est vnū ex ijs quæ in quæstionem veniunt. quærebatur enim vtrum definitionis habeatur demonstratio, an nō. Ac dīctorum quidem sensum huiusmodi esse puto. Effectiuam porro scientiam vocat cemetariam lignariamq; artem, & simpliciter omnes quarum post actionem opus aliquod ac effectus manet, cum sit ea actiua, cuius post actionem nihil reliquum sit, qualis est ars saltandi, aut fidibus canēdi. de quibus in Moralibus, quæ Nicomachia inscribuntur, accurate dictum est. (Nam harum quæq; genus quoddam definitum sibi assumens tanq̄ existens & ens circa ipsum versatur.) Tanq̄ existēs & ens dicit, non quòd Geometria, verbi gratia, id quod circūscribit atq; accipit, in eo quòd est ens consideret, sed quia sumens quod circūscribit, non vt non existens, sed vt existens ac entitate participans, quæ illi per se accidunt, contemplatur: de quibus philosophia in eo quòd entia sunt edisserit.

Definitio  
nis nō esse  
demonstra  
tionem.

Effectiua  
sciētia quæ  
vocetur.

Cum vero scientia de natura, sit scientia quædam: patet & ab actiua & ab effectiua ipsam esse diuersam. Effectricis enim principium motus in eo quod est efficit, & non in eo quod efficitur, est: atq; hoc est aut ars quædam, aut alia quædam facultas. Similiter & ipsius actiue motus principium non est in ipsa re agenda, sed potius in hisce qui agūt. Naturalis vero circa ea quæ motionis in seipsis principium habēt, versatur. Scientiam igitur naturalem necessario neq; actiuam, neq; effectricem, sed contemplatricem esse ex hisce quæ diximus, innotescit. Sub horum enim generum vnum ipsa cadat necesse est. Atqui cum ipsum quid est, vnamquaq; sciētiam aliquo modo scire necesse sit, atq; hoc principio vti, non lateat oportet quonam modo definiendum sit philosopho naturali, & quo pacto substantiæ ratio sit ab eo sumenda, vtrum vt ipsum simum, an potius vt concavum ipsum. Horum enim ratio quidem simi, cum ipsius rei materia, ratio autē concaui sine materia dicitur. Simitas enim in naso fieri solet, quapropter & ipsius ratio cum hac ipsa est assignata. Est enim simum cōcauus nasus. Patet igitur & carnis, & oculorum, & reliquarū partium rationem semper esse cum materia assignandam. Quoniā autem est scientia quædam ipsius entis ea ratione qua est ens, ac separabile, considerandum est, vtrum eadem an diuersa potius a naturali scientia sit ponenda. Naturalis itaq; circa ea versatur quæ motionis in seipsis principium habent. Mathematica vero est quidem contēplatrix quædam, & circa immobilia versatur & ipsa, at non separabilia, vt patet. Est ergo circa ens separabile atq; immobile alia quædam ab his vtrisque diuersa, si sit in ratione rerum quædam substantia talis, separabilis inquam atq; immobilis, quod quidem enitemur postea demonstrare. At si qua est in ratione rerum talis natura, ibi profecto & ipsum diuinum erit, idq; erit principium primū, atq; principium maxime. Patet igitur genera contemplatiuarum tria scientiarum esse, naturalē, mathematicā, theologiam. Atq; genus quidem sciētiarum contēplatiuarum est præstantissimum. Harum autem ipsarum præstabillissima est ea quam vltimo diximus. Circa nanq; præstabillissimum eorum quæ sunt in ratione rerū, versatur. Præstabillior enim atq; deterior quæq; suo dici subiecto solet. Dubitauerit autem quispiam, si eius quod est, sciētiam vt ens est, vniuersalem ponere oportet, necne. Mathematicarū enim quæq; sciētiarum circa quid definitū genus versatur, vniuersalis autem de omnibus est cōmunis. Si substantiæ igitur naturales primæ sint omnium, naturalis quoq; prima scientiarū omnium erit. Sin vero sit alia quædam natura substantiaq; separata, atq; immobilis, aliam ipsius scientiam esse necesse est, priorēve scientia naturali, atq; vniuersalem, hoc ipso, quòd antecedit.

26 Cum vero scientia de natura sit scientia quaedam, patet & ab actiua & ab effectiua ipsam esse diuersam. Exposito sapientiae ac caeterarum disciplinarum discrimine, differentiam declarat, qua physica, hoc est naturalis doctrina discrepat ab actiuis & effectiuis scientijs. quae autem actiuae, quae effectiuae esse intelligantur, statim enarrauimus. Ad hunc igitur modum argumentatur, omnis actiuae & effectiuae scientiae principium motus per quod efficienda agendaque vel fiunt vel aguntur, in alijs, id est, in agente & efficiente est. principium autem physicae non est in alio, sed in ijs quae fiunt a natura. physica igitur non est neque actiua, neque effectiua. porro principium effectiuae & actiuae non esse in eo quod fit & agitur, certum est. Neque enim principium domus aedificandae in domo ipsa est, sed in cementario artifice. neque saltationis in saltu, sed in saltante. nec cithara personandi in cithara, sed in personante. At physicae principium, per quod eduntur opera naturalia, in ijs esse quae efficiuntur, nemini est ignotum, qui modo illam doctrinam paulo accuratius attigerit. est enim natura motus & quietis principium eius in quo est primū, & per se est, ac non ex accidenti. Quod autem ad distinctionem pertinet, cum ait (Atque hoc est aut ars quaedam, aut alia quaedam facultas) artem vocat, ut artem cementariam: aliam vero facultatem animantium rationis expertium, impetum naturalem, ut quo aranea telam suam, hirundo nidum conficit. haec enim non arte quodam ab illis peraguntur, sed impetu quodam naturali. Ergo cum doctrina quaeque contemplatiua sit, vel actiua, aut effectiua: physica vero quae doctrina est, nec sit actiua, nec effectiua, reliquum est ut physica contemplatiua sit. Nam cum sit necesse, ut sub aliquod horum generū cadat, planum sit, ipsam ex necessitate contemplatiuam esse, aut actiuam, vel effectiuam. Haec effatus, ut theologus, & cunctis disciplinis superior, docet quomodo physicus debeat quodammodo definire. neque enim tanquam theologus definire debet. Dicit ergo. (Atqui cum ipsum quid est, vnamquaque scientiam aliquo modo scire sit necesse) alio modo, id est citra demonstrationem. Cum hoc igitur sit necesse (non lateat oportet quoniam modo definiendum sit philosopho naturali, & quo pacto substantiae sit ab eo sumenda definitio, utrum ut ipsum simū, an potius ut cōcauum ipsum) Simum dicit, quoniam simum semper definimus cum materia in ipso subiecta, hoc est naso. dicimus enim, simitas est cauitas in naso. quod idcirco facimus, quoniam simitatis subiectum determinatū est. Nam simitas semper est in naso. Cauum vero idcirco sine materia definitur, quoniam in aere, ligno, terra, caelo, circulo, breuiter in cunctis fere corporibus reperitur. Ut igitur simum definituro necesse est, ut in eius definitione materiam ei subiectam, hoc est nasum complectatur, sic physicus siue carnis specie, siue oculum, siue quā aliam speciem naturalem definiat, necesse est ut ipsis subiectam materiam complectatur. Hec effatus ait, quoniam demonstratum est, esse quandam entis doctrinam in eo quod est ens, quod autē proprie est ens, separabile est, expertis omnino materiae, utrum hoc principium considerare, de quo ipso differere munus physici sit, an mathematici: quorum neutrius esse respondet. Nam physica leu physicus in ea inquit, quae in se mouendi principium habent. ens autē proprie intellectum, quod est primum principium, & materiae immune, omnino stabile est & immobile. Mathematica vero immobilium & manentium est contemplatrix, sed sola cogitatione separabilium, & in materia consistentium: ut intelligatur ne ad hanc quidem primi principij quaestionem pertinere. Illa igitur doctrina, quae immobile illud & omnino separatum considerare conatur, diuersa est a physica & mathematica. (At si qua est in ratione rerū talis natura, ibi profecto & ipsum diuinū erit) id est, ea utique fuerit deus, qui facile princeps primū, quae principium est. Ex dictis ergo planum nobis est effectum, tria esse contemplatiuum doctrinarū genera, mathematicam, physicam, & theologiam. At contemplaticum genus actiuis & effectiuis scientijs & artibus antefertur. Rursus ex contemplatricibus ea potissima est, quae potioribus utitur principijs. potioribus autem utitur, quae ultimo loco dicta est, id est theologia. Praeterea non ab re hoc in loco quaerit, cum mathematica & physica, & caeterarum quaeque sumens genus aliquod, entis illius accidentia consideret, haec autem vniuersaliter ipsum ens in eo quod est ens, non partem aliquam, utrum haec vniuersalis scientia sit, & genus physicae atque mathematicae, & caeterarū doctrinarum, an secus: Nam si substantiae, inquit, naturales caeteris essent priores, profecto physica prima & vniuersalis doctrina esset. Sin autem est quaedam alia natura substantijs naturalibus prior, separabilis, & expertis materiae, necesse est ut illius doctrina diuersa sit, & prior atque vniuersalis. Ut autem doceat quomodo hanc appellauerit vniuersalem, adiecit illud (hoc ipso quod antecedit.) quasi dicat, propositam doctrinam vniuersalem appello, non quod de caeteris praedicetur, sed quia prior est, & secum tollit alias. Sublata enim theologia, non est dubium, quin eius principia tollantur. nam si haec manerent, ipsa quoque maneret. at sublatis theologiae principijs, caetera quoque omnia sublata erunt. Intelligendum est autem, quoniam theologiam appellat vniuersalem, non quod de pluribus praedicetur, sed quod prior sit, & secum alias tollat. Idcirco cum ens, & proprie ens, id est primum principium appellet vniuersale, non quasi de pluribus dicatur sic ipsum vocat, sed quia secum alia principia tollit. Caeterum qua demum de causa hanc doctrinam eiusque principium appellat vniuersale? An quia quae secum tollunt, vniuersaliora ijs quae simul tolluntur, solemus nuncupare: idcirco cum haec simul tollant, consuetudinem sequutus, ipsa vocauit vniuersalia?

Contēplatiū doctrinarū genera tria.  
Theologia

Theologia cur vniuersalis dicatur.

Cum autem ipsum ens simpliciter pluribus modis dicatur, quorum vnus est isce qui per accidens dicitur, de tali ente primo considerandum esse videtur. Nullam itaque scien-

tiarum quæ traditæ sunt, circa ipsum accidens versari, considerationemque facere patet. Neque enim extruendarum ædium facultas, id quod accidet hisce qui ædibus utentur, considerat, ut si cum dolore habitauerint, an cum voluptate: neque ars texendi, neque suendi, neque etiam cõficiendi epularum facultas: sed quæque proprium munus, quod ad seipsam accommodatur, tantum considerat. hoc autem est suus proprius finis. Neque quenkquam ut est musicus vlla grammaticusve considerat.

Cum autem ipsum ens simpliciter pluribus modis dicatur, quorum vnus est is qui per accidens dicitur. (Enns simpliciter hoc in loco appellat vniuersale. Quod autem dicit, huiusmodi est. Cũ ens vniuersale multis modis dicitur, quorum modorum vnus est qui dicitur ex accidenti, operæpretium est de ente per accidens disputare. hoc est enim quod ait (de tali ente primo considerandum esse videtur.) In dictione tamen hoc desideratur vtrũ aliqua scientiarum vel artium id inquit, an non? huc enim pertinet hoc quod subicitur. (nullam igitur traditarum scientiarum de accidente disputare certum est) ut hæc verba, nullam igitur traditarum scientiarum de accidente disputare certum est, sint solutio eius quod desideratur, vtrum aliqua scientiarum vel artium id inquit, an non? Soluens igitur quæstionem, dum negat de accidente scientiam aut artem haberi, ait. Neque enim ars cementaria, vtrum domus moleste sit habitanda, considerat: nec ars texendi, vtrum vestis salubris, an morbifera sit futura: cui similis ratio in cæteris artibus reperitur: sed quod ad se proprie pertinet, id vnaquæque contēplatur. Est autē propriũ artis cementariæ, formã eiusmodi construere, quæ sit ad hymbres arcendos tutamen idoneum, & ad opes conseruandas accommodatum. & hoc tantum agit, ut forma efficiatur quæ pluuias arcere, & rem familiarem tueri valeat, nulla habita ratione moleste aut iocundæ habitationis. Accidit enim domui ut habitantibus ingrata molestaque sit, & hoc est ens per accidens. Ut igitur cementarius faber non considerat quod domui cõtinget, sic nulla disciplina vel ars contēplatur ens per accidens.

Neque asserit eum qui est musicus, si grammaticus fuerit, fore simul vtrunque cum antea non esset. Quod autem non semper est ens, id fiebat profecto. quare simul musicus grammaticusve fiebat. Hoc autem nulla scientiarum earum quærit, quæ omnium sententia scientiæ sunt, nisi sophistica tantum. Hæc enim sola circa accidens ipsum versatur. Idcirco Plato non male dixit, cum circa id quod non est, sophisticam versari dixisset.

Neque asserit eum qui est musicus, si grammaticus fuerit, fore simul vtrunque cum antea non esset. (Hoc sophisma quod a sophisticis ostentatur, huiusmodi est, & sic ab ipsis concluditur. Ponunt hominem, exempli causa Calliam, prius musicum fuisse grammaticæ prorsus indoctum, deinde factum fuisse grammaticum, & sic argumentantur. Callias hic nunc simul est musicus & grammaticus. quod si verum est, ergo cum factus est grammaticus, musicus quoque factus est. Nam cum sit nunc simul grammaticus & musicus, simul factus est grammaticus & musicus: ergo cum factus est grammaticus, non erat musicus. at erat musicus antequam grammaticus efficeretur, ut positum est. Ante igitur quæ grammaticus fieri inciperet, musicus erat, & non erat. Sed paralogismus est in pronunciato, haud dubie falso, quod ait, quorum existentia simul est, horum generatio quoque simul efficitur. Neque enim si hodie Sossigenem esse & Alexandrum, dictum verum est, protinus & illud, Alexandrum tunc fuisse genitum, cum Sossigenes procreatus fuit. Sossigenes enim tempore posterior est Alexandro, quanquam ita acciderit, ut esset Alexandri tempore Sossigenes. Sophisma ergo huiusmodi est. & hoc ipsum, Calliam musicum, etiam esse grammaticum, est quidem ens, sed ens per accidens. Accidit enim ut cum musicus esset, fieret grammaticus. Cum ergo docuisset Aristoteles nullam disciplinã de ente per accidens disputare, quia Calliam esse nunc simul musicum & grammaticum, ex eorum habetur numero, quæ per accidens sunt, idcirco nullam doctrinam considerare ait, an cum factus est grammaticus, simul factus fuerit musicus. Nam doctrinæ de entibus edisserunt, quod autem est per accidens, id pro modo non ens est, in quo ars sophistica versatur, ut pulcherrime tradiderit Plato sophisticam in non ente versari. Cæterum incõcinna & perquam obscura dictione est, quæ ait (Neque asserit, qui est musicus, & c.) sed ut mihi quidem videtur, ad hunc modum est coaptanda (quod autem non semper est ens, id fiebat profecto: quare simul musicus grammaticusque fiebat.) deinde adiungendum (neque eum qui est musicus, grammaticum fore, cum antea non esset) & sic legendum (hoc nulla scientiarum quærit, quæ omnium sententia scientiæ sunt, & c.) ut tota & continens oratio ad hunc modum sese habeat. (quod autem non semper est ens, id fiebat profecto, quare simul musicus & grammaticus fiebat. cum igitur qui est musicus, grammaticum fore, cum antea non esset, nulla scientiarum earum quærit & c.) Illud autem quod ait (quod autem non semper est ens, id fiebat profecto. quare simul musicus & grammaticus fiebat) confirmatio est qua sophisticæ concludere conantur quod Callias non erat musicus, quando erat musicus. Itaque verba illa (quod autem non semper est ens, id fiebat profecto) sophisticarum sunt, qui sic argumentantur. Quod non semper est, & cum prius non esset, nunc est, id efficitur. Callias autem nunc est musicus & grammaticus, quod prius non erat, vtrunque scilicet gram-

Nulla disciplina de ente per accidens, disputat.

Sophista in non ente versatur.

ticus & musicus, quia musicus tantum erat. Callias igitur cum grammaticus fieret, effectus est musicus. at quod fit, non erat. Callias ergo qui musicus fit, non erat musicus, & tamen erat musicus. Sed ipse cum dixisset (quare simul musicus grammaticusq; fiebat) prætermisit illud. at quod fit, non erat. & Callias ergo musicus erat, & non erat musicus. dū suo more consulit brevitati. nobis tamen hæc ut a sophistis dicta sunt accipienda, illa ut ab Aristotele (eum qui est musicus, si grammaticus fuerit factus, fore simul utrunq; cum antea non esset, hoc nulla scientiarum earum quærit quæ omnium sententia scientiæ sunt.) horum igitur verborum quæ ad mentem ipsius dicta sunt, sensus est. Qui prius erat musicus, nunc autem utrunq; & musicus & grammaticus, cum prius scilicet non esset simul & musicus & grammaticus, & subaudiendum est, utrum is cum factus est grammaticus, musicus etiam factus est, nulla doctrina inquirat ex ijs quæ sine controuersia scientiæ sunt.

Atqui fieri non posse ut scientia sit accidētis, perspicuum fuerit, si quidnam sit ipsum accidens, enitatur videre. Eorum igitur quæ sunt, alia semper dicimus & necessario esse. atq; necessitas est hic sumenda, non ea quæ violenta dicitur, sed ea qua in demonstrationibus utimur, alia plerunq; alia neq; necessario, neq; plerunq; sed ut contigerit, veluti frigus fuerit cum sol est in Cane, quod quidem neq; semper & necesse, neq; plerunq; fieri solet, sed interdum accidere potest. Est igitur id accidens, quod fit quidem, non semper autem fit, neq; necessario, neq; plerunq;. Atq; accidēs quidem quidnam sit, diximus. Cur autem rei talis non est scientia, patet. Omnis enim scientia, eius est sane, quod est semper, aut plerunq;. At accidens in neutro est ipsorum. At vero eius quod est per accidens, non esse principium, causasq; tales, quales sunt eius quod est per se, luce clarius extat. Erunt enim omnia necessario. nam si hoc quidem est, cum hoc sit: hoc autem itidem est, cum hoc sit (atq; hoc non ut contingens, sed necessario) necessario nimirum & id erit, cuius hoc erat causa, usq; ad id quod effectus vltimus dicitur. Hoc autem per accidens erat. quare omnia necessario erunt. Atq; id quod esse & non esse, & fieri atque non fieri potest, ex hisce quæ fiunt, penitus tollitur: & si causa quoq; non esse, sed fieri supponatur, eadem profecto eueniēt. Omne enim quoduis necessario fiet. Etenim cras defectio fuerit, si hoc fuerit factum: atq; hoc, si aliud quippiam: & hoc rursus, si aliud. atq; hoc modo si a finito tempore, quod est ab hoc nunc usq; ad accedentem diem, tempus auferatur, peruenietur tandem ad id quod est. Quare cū hoc sit, omnia posteriora necessario euenient: quibus efficitur, ut vniuersa necessario fiant.

29 Atqui fieri non posse, ut scientia sit accidentis, perspicuum fuerit. Cum assumpsisset ex inductio-  
ne, accidentis non esse doctrinam, id verum esse planum nobis fore ait, si accidens quid sit definiere-  
mus. hoc enim significat illa verba (si quidnam sit ipsum accidens, enitatur videre) Sed accidēs de-  
finiturus entium partitionē effecit, quæ vsui sibi sit ad reddendam accidentis definitionē, dicens. Entium  
quædam semper & necessario sunt. Sed quoniam ut in libro huius doctrinæ quarto traditum est, ne-  
cessarium multifariā intelligitur, ac vno modo quod violentū est, idcirco adiecit (atq; necessitas est  
hic sumenda, non ea quæ violenta dicitur, sed ea qua in demonstrationibus utimur) Nam quæ sunt  
eidē æqualia, ea inter se quoq; æqualia sunt semper & necessario. & similiter ceterę sententiæ. Quædā  
igitur semper & ex necessitate sunt, quædā magna ex parte. Nā magna ex parte homines sunt qui-  
nis digitis. Alia neq; magna ex parte, neq; necessario, sed ut acciderit, hoc est minore ex parte. Quod  
autem illud (cum acciderit) pro minore ex parte dixerit, ipse subiecto exemplo declarauit. ut, inquit,  
minore ex parte raroq; sub canis exortum frigus efficitur. fortassis enim hoc vsu quādoq; veniet. Ac-  
cidens igitur neq; est ex eorum numero, quæ magna ex parte sunt, nec eorum quæ necessario & sem-  
per, sed eorum quæ raro. Facta igitur ad hunc modū entium partitione, accidens definit, dicens. (Est  
igitur id accidens, quod fit quidem, non semper tamē, neq; necessario, neq; plerunq;) Itaq; nigredo  
in coruo non dicitur simpliciter accidens, sed cū additamento, magna ex parte accidens. Quod autē  
fit raro, id accidens simpliciter absq; additamento nuncupatur. Ergo si omnis doctrina vel est neces-  
sarium, vel eorum quæ magna ex parte sunt, accidens autem non est huiusmodi, accidentis certe  
scientia habetur. Aliter quoq; accidentis non esse doctrinam, ostendit, in hunc maxime modum con-  
cludens. Quorum habetur scientia, horū principia & causæ sunt determinatæ, entis autem per ac-  
cidens, principia & causæ non sunt determinatæ, accidentis igitur non est scientia. Harum duarum  
propositionū maiorem, quæ ait, quorum habetur scientia, horum principia & causæ sunt determi-  
natæ, quia sæpe demonstrata est, non confirmat. Minorem vero illam, accidentis principia non sunt  
determinata, demonstrat per impossibile, ponens eius oppositum, esse videlicet determinatas causas  
accidentis, virtute rursus in hunc modum concludens. Accidens habet causas determinatas, ut posi-  
tum est, quorum autem causæ determinatæ sunt, ea sunt necessaria. accidens igitur est necessarium.  
cui si addideris aliam propositionē, quod autem est necessarium, id semper est, concludetur, accidens

Entium  
partitio.

Accidentis  
definitio.

Accidentis igitur semper est. At hoc est impossibile, ergo ne illud quidē fieri potest, per quod hoc ipsum colligi-  
 tur, id est accidētis principia esse determinata. Porro si ipsius principia nō sunt determinata, ne ha-  
 betur quidē de ipso sciētia. Ac summa quidē dīctorū deductio huiusmodi esse videtur. Quod autem  
 esse inde- terminata. pertinet ad dīctionē, ad hunc modū sese habet (At vero eius quod est per accidens, non esse principia  
 causasq; tales) id est determinatas (luce clarius est) Nā si essent eius causæ determinatæ, ipsum neces-  
 sariū esset, quēadmodū cætera quorū causæ determinatæ sunt. ac proinde cūcta essent ex necessitate,  
 & sic possibilis natura tolleretur e rebus, quā esse, & ut sit impossibile ipsam nō esse, in libro de enun-  
 ciatione demonstratū est. Sed cū dixisset tūc omnia necessario fore, hoc esse cōsequens confirmat, di-  
 cens. (Nā si hoc quidē est, cū hoc sit, hoc autē itidē est, cū hoc sit, idq; non fortuito, sed necessario, ni-  
 mirū necessario erit id cuius hoc est causa) si ergo in accidētibus sic se res habet, & hoc existēte illud  
 est, cūq; illud est, accidēs est, profecto accidēs necessario erit. Nā quēadmodū si domus est, necessario  
 sunt parietes, & si hi, fundamēta, sic accidēs necessario fuerit, si sint eius causæ determinatæ. quod ut  
 fiat exploratius, in manifesto exēplo consideretur. Cū sol opponitur lunæ ad perpēdiculū, necessario  
 fit defectus. in defectu autē ponatur accidisse ut thesaurus reperiretur. si ergo reperiēdi thesauri cau-  
 sæ sunt determinatæ, sint eius causæ defectus, ac deficiēdi causa. Tunc sic argumētāmur. sole se lu-  
 næ ad perpēdiculū opponente, necessario fit defectus. defectus autē est causa reperiēdi thesauri, the-  
 saurus igitur necessario reperietur. at hoc, id est ut thesaurus reperiat, accidēs est, cū sit ex ijs quæ ra-  
 ro accidūt. Nūc autē ex eo quod eius causæ determinatæ esse dicātur, cōcluditur ipsum esse de numero  
 necessariorū. omnia igitur sunt necessaria, & nihil cōtingēs. Ceterū vltimā formā seu speciē appellauit  
 vltimū effectū. Nā prima causa est distantia solis ad perpēdiculū, effectus vero defectus ipse, rursus  
 causa secūda defectus, effectus autē vltimus inuētio thesauri: quæ si cuiuspiā esset causa, illud esset vlti-  
 mus effectus. Si ergo accidētis causam esse ponamus, cōsequens est ut accidens necessario sit. sin autē  
 nō esse illā, sed fieri, accidēs necessario efficietur. si enim cras fiet inuētio thesauri si luna defecerit, de-  
 fectus autē fiet si oppositio sub terra fiet, hæc autē fiet si sol fiat ad perpēdiculū, & hoc rursus fiet si  
 pluet, & hoc si tonuerit, ut tonitru postremū sit: sic retrogendū est, quoniā tonat, pluet necessario.  
 si pluet, necessario sol fiet ad perpēdiculū. si hoc fiet, oppositio ex necessitate fit. si hæc fit, luna defi-  
 cit. si hæc deficit, thesaurus necessario reperietur. omnia igitur ex necessitate fuerint. si ergo, inquit,  
 ab hoc pūcto tēporis exorsi dicamus, cras luna deficiet, cū omne quod factū est, tēpore finito fiat, ad  
 id quod est perueniemus. ponatur enim thesauri inuentionē fieri simul atq; definit defectus, & post  
 hunc pluuiā statim cōsequi, post pluuiā tonitru, cū omne tēpus sit finitū, si defectus lunæ tēpus dem-  
 pseris, deinde pluuiæ, sint ea licet mensiū centum, atq; item mille mensium, tamen peruenies ad id  
 quod est, id est ad tonitru. Illinc ergo exorsi, omnia post tonitru ex necessitate fieri asseuerabimus.

Id autem quod ut verum est ens, & non per accidens, in mentis cōplexione consistit,  
 atq; in hoc est affectus. Quapropter circa id quidem quod ita est, principia non quærū-  
 tur, circa vero id quod est extra, ac separabile. Id autē quod est per accidens, non est ne-  
 cessarium, sed indefinitū. Atq; talis entis causæ inordinatæ sunt, ac infinitæ. Id autē quod  
 alicuius gratia fit, in iis est quæ natura fiunt, aut a mente proficiuntur.

Id autem quod ut verum est ens, & nō per accidens. Affirmationē veram, aut negationē veram 30  
 vocabat ens ut verū, cum de ipso in hoc opere disputaret: quemadmodū non ens ut falsum, falsam vel  
 affirmationē vel negationem. Ens igitur, inquit, ut verum, & non per accidens in mentis cōplexio-  
 ne consistit, & eius est affectus. cum enim mens prædicatum vere cum subiecto coniungit, hoc ens  
 appellatur, non quidē simpliciter ens, sed ens quasi verum: ut si Socrate scribente mens dicat, Socra-  
 tes scribit, hoc ens erit, non tamen simpliciter, sed ens tanq̄ verum. Huius igitur entis quasi veri nul-  
 la causa inuestigatur. Nemo enim inquit, cur cum Socrate mens verbum scribit copulauerit. Entis  
 autem externi & separabilis, id est per se existentis causas indagamus. quo in loco externum ens vo-  
 cabat Socrate, eiusq; opus, ipsum inquam scribere. Neq; enim Socrates, & munus quo fungitur, sunt in  
 mente quæ ait, Socrates scribit, sed extra ipsam, & in hoc loco. ergo circa ens externū causas indaga-  
 mus. inquirimus enim causam, cur Socrates scribit. Neq; vero ab re horū mentionem fecit, sed quia  
 entis per accidēs causas non haberi ostenderat, cōuenienter dixit ne entis quidē quasi veri causas esse.  
 Cū ergo dixisset entis externi causas a nobis inuestigari, adiecit, eius quod nō est necessariū, sed in-  
 determinatum & rarum, causas indeterminatas esse & inordinatas. Causæ nanq; obuiandi cuiuspiam,  
 quem videre cupiebas, cū id fore non putares, indeterminatæ sunt, ut dictum est in libris de natu-  
 ra. Entis ergo per accidens causæ non sunt, neq; in ipso habetur gratia cuius, sed ipsum gratia cuius  
 in ijs versatur, quæ natura fiunt, vel in ijs quæ a mēte proficiuntur. Ceterū sit modus huius libri  
 enarrationi. Nam quæ ab illo loco (fortuna autem est, cum quippiam horum fuerit, per accidens or-  
 duntur. horum igitur interpretatio ab ijs commentarijs petatur, quibus illa sunt enarrata. Nos ve-  
 ro ad librum duodecimum explicandum aggrediamur.

Ens exter-  
 nū & sepa-  
 rabile.

Finis enarrationis libri vndecimi.

Fortuna autem est, cum quippiã horum fuerit per accidens ortum. Nã vt & ens aliud per se, aliud per accidens est, sic & causa est. Fortuna autem causa est per accidens in hisce quæ per electionem alicuius gratia fiunt. Quapropter circa eadem mens fortunaq; versatur. Electio nanq; sine mente non est. Causæ vero sunt indefinitæ, a quibus id fieri potest quod proficiscitur a fortuna. Quocirca rationi humanæ est immanifesta, & per accidens quidem causa est, absolute vero rei nullius causa est. Est autem fortuna bona ac mala, cum bonum euenerit, aut malum: prosperitas vero fortunæ ac infortunium circa horum est magnitudinem. Cum autem nihil per accidens prius sit eo quod est per se, neq; profecto causæ per accidens causis per se erunt priores. Quod si fortuna & casus cœli sunt causæ, prior mens causâ erit atq; natura. Atqui eorum quæ sunt, quædam actu tantum, quædam potentia sunt atq; actu. Horum autem aliud est ens, aliud quantum, aliud ex numero cæterorũ. Non est autem vllus motus præter res ipsas. Mutatur enim semper id quod mutatur, per ipsius entis prædicamenta. Atq; in hisce commune nihil est prorsus, quod nullo est in prædicamento. Vnumquodq; autem dupliciter cunctis inest, vt hoc. aliud enim est ipsius forma, aliud est priuatio. Et quale. aliud enim est albũ, aliud nigrum. Et quãtum. aliud enim est perfectum, aliud imperfectum. & in latione simili modo aliud est supra, aliud infra, aut leue, aut graue. Quare tot sunt species ipsius quod est, quot motus mutationisve species sunt. Cum autem eorum quæ in vnoquoq; genere collocantur, quoddam actu, quoddam potentia sit: actum eius quod est potentia, vt est tale, motum esse dico. Atq; vera esse ea quæ dicimus, hinc perspici potest. Nam cum ædificabile tale est, tum ipsum vt ædificatur, actu dicimus esse. Atq; hoc est ædificatio. Similiter & medicatio & ambulatio ac saltatio, & istiusmodi cætera. Fit autem vt tunc res moueatur, cum est hic ipse actus, & neq; prius, neq; posterius. Atque actus eius quod est potentia, cum actu est, ac non vt ipsum, sed vt mobile est operatur, motus nimirum est. Atq; vt mobile, dico hoc pacto. Est enim æs potentia statua, attamen non æris actus vt est æs, est motio. Non est enim idem esse æris, atq; alicuius potentiæ. Nam si esset idem simpliciter, ratione ve, æris vt est æs, actus, motus quidam nimirum esset, non est autem idem. Patet autem in contrariis. nam valere quidem posse, ac ægrotare posse, non eadem sunt, sed diuersa. Esset enim idem ægrotare atq; valere. Subiectum autem, & id quod valet atq; ægrotat, vnum & idem est, siue humiditas sit, siue sanguis. Cũ vero non sit idem, quemadmodum neq; color est idem atq; visibile, patet actum possibile ea ratione qua possibile est motum esse. Nunc igitur esse, atq; tũc rem moueri, cum est iste actus, & neq; prius, neq; posterius, patet. Fit enim vt quodq; interdum operetur, interdum non operetur, ceu ædificabile in quantum ædificabile est: atque ædificabilis actus in quantum ædificabile, ædificatio est. Nam actus ipsius aut est ædificatio, aut domus. At cum est domus, tunc non est, vt patet, ædificabile. Aedificabile vero ædificatur. Necessè est ergo actum ipsius ædificationem esse. At ædificatio motus est quidam. Eadem & ad cæteros accommodabitur motus ratio. Atq; patet nos de ipso motu recte dixisse, & ex hisce quæ cæteri de ipso dixerunt, & quia nõ est facile ipsum alias definire. Neq; enim quisquam alio in genere ipsum ponere potest: neq; qui aliter de ipso dixere, recte dixisse videtur. Id ita esse, inde sane patebit. Quidam enim diuersitatem & inæqualitatẽ, & id etiã quod non est, ipsum esse dixerunt. Nihil tamen, siue sit diuersum, siue inæquale, siue non ens, necessario moueri videtur. At neq; ipsa mutatio aut ad hæc, aut ex hisce magis, quàm oppositum est. Ponẽdi autem motum in hisce causa fuit, motum indefinitum quiddam esse videri. Alterius vero principia seriei indefinita sunt sane ex eo, quia sunt priuatiua. nihil enim ipsorum aut hoc aliquid, aut tale, aut cæterorũ quidquam est prædicamentorum. At vt videatur motus indefinitum esse, causa fuit illud, non posse inquam aut in potẽtia rerum ipsum, aut in actu poni. neq; enim id quod esse potest quantum, neq; id quod est actu quantum, necessario iam mouetur: & motus actus quidem esse quidã videtur, imperfectus tamen. Cuius rursus illud, est causa, ipsum inquam possibile imperfectum esse, cuius est actus. & propterea difficile est accipere

quidnam sit ipse. Neesse est enim ipsum aut in potentia, aut in priuatione, aut in actu simplici ponere. at nihil esse horum posse videtur. Quare restat id quod dictum est, esse atq; actum quem dicimus, qui difficilis quidem est cognitu, potest autem esse. Patet & motum in ipso mobili esse. est enim actus huius ab eo quod est motuum. Motui quoque actus non alius est. amborum nanq; actum esse oportet. Est enim hoc quidem motuum, quo potest: hoc autem mouens, quo agit. At ipsius mobilis, est actuum. Quare perinde amborum vnus est actus, atq; vnus ad duo, & duorum ad vnum idem est intervallum, & vt acclive atq; declive, esse tamen nõ vnũ est. Similiter sese res habet & in hisce quorum alterum mouetur, alterum mouet. Infinitum autem est aut id quod impossibile est pertransire, ex eo, quia non est aptum vt per ipsum transitio fiat, perinde atque vox inuisibilis dici solet, aut id quod habet sine fine transitionem, aut quod vix, aut quod est aptum quidem habere, non habet tamen transitionem vel finem. Præterea aut appositione est, aut ablatione, aut vtroque. Separabile igitur ipsum quid per se, infinitum esse nõ potest. nam si infinitũ ipsum, neq; magnitudo neq; multitudo est, sed substantia, & non accidens, indiuisibile erit profecto. Diuisibile enim aut magnitudinem, aut multitudinẽ esse constat. Quod si indiuisibile sit, infinitum non erit, nili perinde atque vox est inuisibilis. At neq; illi qui dicunt infinitũ esse, scilicet ipsum hoc pacto ponunt, neq; nos quærimus si sit identidẽ ipsum, sed vt habet sine fine transitionẽ. Præterea quonam pacto per se infinitum esse potest, si neq; numerus, neq; magnitudo per se esse potest, quorum per se affectus quidam ipsum est infinitũ? Præterea si per accidens est, non erit elementum profecto rerum vt infinitum, quemadmodum nec ipsum inuisibile locutionis est elementum, & tamen vox est inuisibilis. Perspicuum autem est, infinitum sic esse non posse, vt actu sit, & substantia, sicuti dicunt. Erit enim quæuis pars ipsius quæ sumitur, infinita. Est enim idem esse infiniti, ac infinitum, vt patet, si infinitum substantia sit, & non in subiecto. Quare fit, vt ipsum aut indiuisibile sit, aut in infinitum sit diuisibile. At fieri nequit, vt idem multa sit infinita. Vt enim pars aeris est aer, sic & infinitum est pars quæuis infiniti, si substantia quædam & principium sit, vt dicunt. Impartibile igitur, atq; indiuisibile est. At esse non potest id tale, quod actu est infinitum. Neesse est enim ipsum rationem quantitatis subire. Per accidens ergo infinitum ipsum esse videtur. Quod si ita sit, dictum est antea non posse id principium dici, sed illud cui accidit ipsum, vt aerem, aut par. Hæc autem inquisitio vniuersalis esse videtur. Hinc autem emergere potest, neq; in rebus sensibilibus ipsum esse. Nam si hæc est ratio corporis, superficie terminari, non erit infinitum vllum, aut intelligibile, aut sensibile corpus. At neq; etiã numerus erit vt separatus ac infinitus. Numerus enim omnis, aut id quod numerum habet, numerabile est. Naturaliter autem ex hisce perspicuũ erit. neq; enim compositum esse potest, nec simplex. Compositum enim non erit corpus, si elementa multitudine sunt finita. A equalitatem enim inter contraria esse oportet, & vnum ipsorum infinitum non esse. Nam si quouis excessu corporis alterius potentia superetur, finitum ab infinito corpore corrumperetur. Vnumquodq; etiam infinitum esse nõ potest. est enim id corpus, quod vndequaq; dimensionem habet. Infinitum autem est, quod sine fine est extensum dimensione. Quare corpus infinitum erit sane infinitũ omni dimensione. At vero neq; vnũ simplex corpus infinitum esse potest, neq; vt quidam inquit, præter elementa id ex quo hæc generant. Non est enim præter elementa istiusmodi corpus. Omne enim in id dissoluitur, ex quo constat. Præter autem simplicia corpora id non videtur, neq; ignis, neq; aliud quicquam elementorum. Absq; hoc enim, esse inquam ipsorum aliquod infinitum, impossibile est ipsum vniuersum, etsi sit finitum, aut esse vnum quid ipsorum, aut fieri perinde vt Heraclitus assererat, omnia dicens tandem fieri ignem. Eadem & ad illud vnum accomodabitur ratio, quod præter elementa naturales philosophi faciunt. Omne enim ad contrarium ex contrario, vt ad frigidũ ex calido solet mutari. Præterea omne sensibile corpus alicubi est, & idem est totius locus ac partis, vt terræ. Quare si partium sit similitum, immobile erit, aut semper feretur.



At hoc fieri nequit. Cur enim deorsum potius, quàm sursum, aut ad quemuis locū mouebitur? vt si gleba fuerit, quorsum hæc mouebitur? aut vbi quiescet? Corporis enim eiusdem generis locus est infinitus. Occupabit ne igitur totum locum? At qui fieri potest? Quænam igitur quies, & quis motus ipsius erit? an vbiq; manebit? non ergo motu ciebitur? An omnem ad locum mouebitur? Non ergo quiescet inquam, ac stabit. Sin vero sit dissimilium partium, dissimilia etiam erunt & ipsa loca: atq; primo quidem ipsius vniuersi corpus non erit vnum, nisi tantummodo tactu. Deinde partes aut erunt infinitæ specie, aut finitæ. At finitæ nequeunt esse. Erunt enim aliæ quidē infinitæ, aliæ vero non infinitæ, si vniuersum est infinitum, vt ignis vel aqua. Tale autem corruptio est cōtrariis ipsis, vt antea diximus. Si vero sint infinitæ, ac simplices, & loca infinita erunt profecto, & infinita etiam elementa. Quod si id esse nequeat, sintq; ipsa loca finita, & vniuersum ipsum finitum esse necesse est. Omnino autem impossibile est corpus infinitū esse, ac locum corporum esse, si omne corpus sensibile grauitatem habeat vel leuitatē. Aut enim ad medium, aut sursum feretur. At fieri nequit, vt aut totum infinitum graue sit, aut leue, aut dimidium leue, dimidium graue. Quonam pacto diuiseris, aut quo pacto ipsius infiniti alia pars supra, alia infra, aut vltima, aut media fuerit? Præterea omne corpus sensibile est in loco, loci vero sunt species sex. Impossibile est autem has in infinito corpore esse. Omnino autem si locus infinitus esse non possit, & corpus infinitum esse non potest. Id enim quod in loco, alicubi est: hoc autem aut supra, aut infra, aut in aliqua alia sex differentiarum esse signant, quarum vnaquæq; finis est quidam, vt patet. Ipsum autem infinitum non est idem in motu, magnitudine atq; tempore, vt vna quædam natura, sed posterius dicitur ob prius, veluti motus quidem dicitur infinitus, quia prius ita dicitur magnitudo, supra quā sit motus, aut quæ alteratur, aut accrescit: tempus autem propter motum. Eorum autem quæ mutantur, aliud mutatur per accidens, vt musicū ambulat. Aliud ex eo, quia aliquid eius mutatur, mutari simpliciter dicitur, vt ea quæ per partes mutantur. Sanatur enim corpus, quia oculus sanatur. Est enim & quod ipsum primo mouetur, & hoc est quod per se mobile est. Similis est & in mouente distinctio. Aliud enim per accidens, aliud per partem, aliud per se mouet. Est autem aliquid quod primo mouet, & est aliquid quod mouetur: & insuper tēpus, in quo, & ex quo, & ad quod. Formæ vero, & affectus, & locus, ad quæ mouentur ea quæ mouentur, immobilia sunt, vt scientia, vt caliditas, & similia. Atq; non caliditas est motus, sed calefactio. Mutatio autem ea quæ non per accidens est, non in omnibus est, sed in cōtrariis & in mediis, atq; in contradictione: cuius fides ex inductione sumi potest. Mutatur autem id quod mutatur, aut ex subiecto ad subiectum, aut ex non subiecto ad non subiectum, aut ex subiecto ad non subiectum, aut ad subiectum ex non subiecto. Dico autem id subiectum, quod affirmatione significatur. Quare necesse est tres mutationes esse. Ea enim quæ est ex non subiecto ad non subiectum, non est mutatio. Neq; enim est inter contraria, neq; inter contradictoria, propterea quod ibi nō est oppositio. Ea igitur quæ ad subiectum est ex non subiecto, per contradictionē generatio est, alia simpliciter, alia quædam, quæ est cuiusdam. Ea vero quæ ad non subiectū est ex subiecto, corruptio est, alia simpliciter, alia quædam cuiusdam. Si igitur id quod non est, multipliciter dicitur, & neq; moueri potest id quod in compositione diuisioneq; consistit, neq; id quod in potentia, quod quidem ei opponitur. nam id quidem quod non est album, aut non bonū, moueri per accidens potest. esse enim id homo potest, quod non est album. Id autem quod nō hoc simpliciter est, nullo pacto moueri potest. fieri enim nō potest vt id quod nō est, moueatur. impossibile est profecto generationē esse motum. Id enim quod haud est, generatur. nam etsi quammaxime per accidens generatur, vere tamen de eo quod simpliciter generatur, id dici potest inquam id ipsum esse, quod haud est. Simili modo etiā fieri nequit, vt ipsum idem quiescat. Hæc igitur difficilia accidunt. & si omne quod mouetur, in loco sit, id autem quod non est, in loco nō sit (erit enim alicubi) id profecto quod haud est, nō mouetur. Neq; ergo corruptio motus est. Motui nanque motus con-

trarium est, aut quies. At corruptio contrarium est generationi. Cum autem omnis motus sit quædam mutatio, tres vero sint mutationes quas diximus, quarum duæ, quæ in contradictione consistunt, generatio inquam atq; corruptio motus non sint, ut ostendimus, necesse est, motum eam esse solum mutationem, qua ex subiecto ad subiectum acceditur. Subiecta vero, aut contraria sunt, aut media. etenim priuatio ponatur contrarium. Atq; nudum & album ac nigrum affirmatione significantur. Si igitur prædicamenta diuisa sint, & aliud substantia, aliud quæritas, aliud qualitas, aliud ubi, aliud ad aliquid, aliud sit actio, aliud passio, tres motus esse necesse est, quantitatis, qualitatis, & loci. In substantia vero motus non esse, ex eo, quia nihil substantiæ contrarium est. At neque in hisce quæ sunt ad aliquid. fit enim ut cum alterum mutatur, alterum non subiens mutationem vere dicatur. Quare motus ipsorum per accidens est. Neque item agentis est motus ac patientis, neque mouentis, ac eius quod mouetur, quia motus non est motus, neq; generationis est generatio, neq; omnino mutationis mutatio. Motus enim dupliciter motus esse potest, aut ut subiecti, ut homo mouetur, quia ex albo in nigrum mutatur, & motus ne igitur hoc modo, aut calefit aut frigeat, aut mutatur loco, aut accrescit, aut decrescit. At hoc fieri nequit. Mutatio namq; non subit rationem subiecti. Aut hoc ipso quod aliquid aliud subiectum ex vna mutatione ad aliam mutationis speciẽ, perinde ut homo ex ægritudine ad sanitatem mutatur. At neq; hoc esse potest, nisi per accidens. Omnis enim motus ex alio in aliud est mutatio, & generatio etiam, & corruptio modo eodẽ, hoc excepto, has quidem sic aut sic oppositas esse, motum autem nõ simpliciter. simul igitur ad sanitatem ex morbo mutatur, & ex hac ipsa mutatio ad aliam. Patet igitur cum ægrotauerit, ad quemuis fore mutatum. Quiescere namq; potest, & insuper ad non quemuis semper, & illa ex aliquo nimirum in aliquid aliud erit. Quare & opposita sanatio erit. Non ergo motus est motus, nisi per accidens, veluti ex recordatione in obliuionem mutatur, quia cui illud inest, id interdum in scientiam, interdum in sanitatem mutatur. Præterea si mutationis erit mutatio, generationisq; generatio, in infinitum erit abitio. Necesse est autem & priorem esse, si posterior erit: veluti si generatio simplex aliquando fiebat, & ipsum fiens fiebat. Quare nullum erat fiens simpliciter, sed aliquid fiens, atq; iam fiens, & hoc aliquando fiebat, quare nondum erat tunc fiens. Cui autem infinitorum quicquam non sit, primum ipsum non erit, quare neq; id erit quod hæret. Impossibile est igitur generari quicquam, aut moueri, aut mutari. propterea eiusdem est contrarius motus, & quies insuper, & generatio, atque corruptio. Quare ipsum fiens tunc corrumpitur, cum fuerit fiens. neq; enim statim fiens, neq; posterius. fit enim oportet id quod corrumpitur. Præterea & ei quod generatur, & ei quod mutatur, materiã subesse oportet. Erat igitur ut alterabile corpus est, aut anima, sic aliquid id quod fit motus vel generatio, & aliquid rursus a quo mouentur. Oportet enim huius ex hoc ad hoc motum, aliquid esse non motum vel generationem. Quonam pacto igitur erit? Nõ enim generatio perceptionis erit perceptio: quare neq; generationis erit generatio. Cui autem neq; in substantia, neq; in relatione, neq; in actione passioneve sit motus, restat in quantitate, qualitate, aut ubi, tantummodo motum esse. In vnoquoq; nanque istorum contrarietas est. Atq; quale qualitatem non eam dico, quæ in substantia est (est enim & differentia qualitas) sed eam quæ est passiuã, qua quippiam patitur, aut impassibile est. Est autem immobile & id quod omnino moueri nõ potest, & id quod multo in tẽpore vix mouetur, aut tarde admodum incipit: & id insuper, quod aptum est quidem ut moueatur, non tamen tunc cum est aptum moueri, & ubi, & quemadmodum est aptum, mouetur, quod quidem immobilium solum quiescere dico. Est enim motui contraria quies. Quare fit, ut ipsa sit priuatio susceptiuã. Simul ea sunt loco, quæ vno in loco sunt primo, seorsum autẽ ea quæ in alio sunt atq; alio loco. Tãgere dicuntur ea quorum extrema sunt simul. Id inter dicitur esse, ad quod suapte natura prius accedit id quod mutatur, quàm ad id quod vltimo pergit, cum cõtinuo secundum naturam mutatur. Cõtrarium id est in loco, quod plurimum recta linea distat. Deinceps id est, inter quod post prin-

cipium, aut positione, aut forma, aut aliquo alio definitum, & id ad quod deinceps dicitur esse, nihil eorum cadit, quæ in eodem genere sunt, vt linea ad lineam, aut vnitas ad vnitatem, aut domus ad domum. Nihil vero prohibet inter ipsa quippiam aliud esse. Quod enim deinceps est, ad quippiam est deinceps, & est quid posterius illo. Non enim ipsum vnum ad duo deinceps est, aut ad nonas Calendæ. Hærens autem id est, quod deinceps est, atq; insuper tangit. Quoniam autem omnis mutatio est in oppositis, hæc autem sunt contraria atq; contradictoria, & nihil est medium contradictionis, patet ipsum quod est inter, in contrariis ipsis tantum consistere. Continuum autem est quoddam hærens. Atque tunc continuum esse dico, cum vtriusq; fines quibus se tangunt ac continentur, vnum idemque fuerint facti. Quare patet in iis esse continuum, ex quibus aptum est vnum quid fieri tactu. Patet & primum id esse, quod est deinceps. quod enim est deinceps, non tangit. Hoc autem est deinceps: & si continuum est, tangit. Si vero tangit, nondum continuum est. In quibus autem non est tactus, in hisce neq; copulatio est, vt patet. Quare punctum non est idem quod vnitas. puncto enim competit tactus. Vnitatibus vero non tactus, sed esse deinceps competit: & inter illa quidem est aliquid, inter autem vnitatem nihil esse videtur.

ENARRATIO ALEXANDRI APHRODISEI  
IN PRIMAE PHILOSOPHIAE LIBRVM VNDECIMVM,  
QVI LATINIS EST DVODECIMVS, interprete Io. Genesio Sepulueda.



Contemplatio præfens de ipsa substantia est, vt diximus. Substantiarum enim hic principia causæque quærentur. Etenim si vniuersum ipsum, vt quippiam totum est, substantia nimirum prima pars erit. Et si ea quæ sunt, deinceps sunt collocata, hoc etiã pacto substantia primum, deinde qualitas, aut quantitas erit. Et insuper, vt absolute loquamur, neq; entia sunt hæc, sed qualitates, ac motus, quemadmodum & non album, atq; non rectum. nam & hæc dicimus esse ceu non album est. Præterea nihil cæterorū est separabile. Testes etiam sunt & ipsi veteres, per ea quæ faciebant. elementa nanq; substantiæ principia causasq; quærebant.

**I**N hoc libro, qui vndecimus a Peripateticis inscribi solet, de primo eodemq; immobili principio, propter quod hæc omnis doctrina tradita est, edisserit. Sed quoniam principij nomen plurifariam dicitur (nam & materia principium appellatur, atq; item forma, & priuatio) idcirco quæ ad eiusmodi partitionem attinent, summatim primū strictimque perstringit, vt conueniente ratione cōpendiariaq; via ingressi, recte facileq; huius a cæteris principijs discrimen inuestigemus. Præterea quoniam inter propositas quæstiones illud quoque quærebatur, vtrum sint omnium eadem principia, an aliorum alia, quod nondum explicatum constitutumque est: idcirco causarum mentionem repetit, vt modo quodam omnium rerum eadem principia, alio secus esse demonstrat. (Contemplatio præfens de ipsa substantia est.) Quoniam propositam doctrinam primam esse omnium disciplinarum demonstratum est, primæ autem subiectum primum est, cum substantia prædicamentorum prima sit, vtique substantia subiectum erit sapientiæ. Rursus, quia substantiarum quædam prima est, alia secunda: par est, vt omnium prima substantia primæ philosophiæ subiectum habeatur. Præfatus autem de substantia esse considerandum, breuiter causam eius subiecit, dicens (substantiarum enim hic principia causæque quærentur.) Nam qui substantiæ principia causasque inquirit, is substantiam ipsam inquirit: vt qui defectus causam quærit, defectum ipsum indagat. Vt enim traditur in libro posteriorum, defectus causa, defectus definitio est, hæc porro defectus ipse. Demonstrato igitur hanc scientiam & primam, & de primis esse, substantiam prædicamentorum primam esse demonstrat: vt si sapientia prima doctrina sit, prima autem de primis edisserat, dubium esse non possit, quin si substantia prima esse demonstratur, sapientia qua de agimus, substantiæ contemplatrix esse intelligi debeat. Sed initio quibus modis substantia intelligi valeat, cum nouem prædicamentis definit, dicens. (Etenim si vniuersum sit, vt quippiam totum est, substantia nimirum prima pars

Substantia  
subiectū sa-  
pientiæ.